













£3

E2

Emp w/8

Hermans 1650

£3

E2

Emp. w/8

Hermanus 1650

NICOLAI FONTANI INSTITVTIONES PHARMACEVTICÆ,

EX

BAVDERONIO & DV BOYS

In Pharmacopœorum gratiam potiſſimum concinnatæ.

hic Liber attinet francisc... appre...



AMSTERDAMI,

Ex Typographia Iacobi Charpentier,

Anno Christi cIↄ. Iↄc. XXXIII.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Amplissimo Doctissimoque viro,
Perillustri Domino,

FRANCISCO PAZ,

Medicinæ Doctori exper-
tissimo,

Catholicæ Majestatis, & Serenissimæ
ISABELLÆ, Hispaniarum
Infantis, Belgiique Guber-
natricis *Archiatro*,

Domino suo plurimum
observando.



Iraberis non immeritò, Vir perillustris, audaciam hominis Batavi, qui tam liberè D. V. compellat. Sed ignosce, causamque simul cognosce. Fama enim eximiæ vestræ probitatis, & humanitatis, singularisque doctrinæ, non solum ad hoc me excitavit, sed etiam coëgit, Magnæ enim fælicitatis putabam, ta-

lem virum, quem præsentem non possem verbis, saltem absentem literario aliquo munusculo salutare, & honorare: præsertim oportuna oblata occasione. Cùm enim Institutionibus Pharmaceuticis, quas in adolescentia, & natura ducente, & Patris, Avorumque meorum exemplo monente, primum Medicinæ, deinde Pharmaceuticæ studens, ex probatissimis auctoribus collegeram, jamque maturè recognoveram, Patronum quærerem, cujus Illustris nominis tutelæ eas committerem, & consecrarem, nullus mihi ocurrit, qui vellet & posset rectius de iis judicare, meliusque contra Invidiam & Calumniam eas defendere, quam is, qui summo ingenio præditus ab iis vitiis longissimè dissidet, & virtute eruditioneque eam assecutus est auctoritatem, ut *Catholicæ Majestati* in pretio, Serenissimæ ISABELLÆ, HISPANIARUM INFANTI Archiater

ter, omnibusque probis ac̄ doctis tam alienæ, quam propriæ nationis sit admirationi, dignusque, qui vitam sanam in multos annos producat. Quod à Medicinæ, & medicamentorum Creatore summopere precor. Amsteldami, ix. Maji. cIↃ. IↃ. C. XXXIII.

Amplissimæ & expertissimæ Dominationi Vestræ addictissimus

NIC. FONTANVS, I. F.

A D

LECTOREM BENEVOLVM,

Ode Iambica.

ACuere dentes, Mome, cessa lividos,
Innoxiumque rodere.
Si ratio nulla te movet, moveat bonos,
Quos æquitas tulit arbitros.
Lanugo quondam nulla mentum texerat,
Cum Bauderonius mihi
Est Mystagoges artis hujus inclytus,
Quam pharmaceuticen vocant.
Os ejus, & monumenta plures formulas
Dedere commodissimas:
Quas alibi nusquam cum videre sors sinat,
Visum est eas luci dare:
Probæ juventæ mox futuras utiles,
Tyronibusque nesciis.
Nihil peritis, imperitis omnia
Hæc scriptitasse me scias.
Quare libellum hunc consulas rogo boni,
Rudi laboratum manu.
Si vestra laudem gratitudo asperserit,
Politiora moliar.

Tuus

Nicolaus Fontanus.

In

In Institutiones artis Pharmaceuticæ doctissimi Viri,

NICOLAI FONTANI,

Medicinæ Doctoris, & Medici apud Amstelodamenses eximii.

PHarmaca, Pergameo quondam laudata magistro,
Et toties Coo pharmaca scripta seni;
Pharmaca, quæ tellus, quæ vastus parturit æther,
Aut mediis ægro suppeditantur aquis;
Pharmaca, quæ tacitæ servant sub sulphure flammæ,
Cocta vel è centum pharmaca, simplicibus:
Sumite Bataviæ cives. & discite juxta,
Non has esse bonæ sobrietatis opes.
Tot gula peccatrix, tot gignit pharmaca luxus,
Imperat has vobis mensa superba dapes.
Ambitiosa fames & avaræ prandia linguæ,
Et veneris petulans postulat illa puer.
Non hæc Fabriciis, non hæc sunt nota Camillis,
Non Curiis istud perplacuisset olus.
Cum vitiis Medicina suas accrescere curas
Sentit, & ex ipso crimine lucra capit.
Hinc querulæ sorbent male-olentia pocula fauces,
Et pariter pœnam, quæ medicamen habent,
Quæ dum succincto donas, FONTANE, libello,
Et precium famæ non leve scriptor habes.
Vive diu, nec sospes ama tua pharmaca. pulchrum est,
Cum curis Medicus non eget ipse suis.

C. Barlæus.

In Dispensatorium Ingeniosissimi ac doctissimi Viri,

NICOLAI FONTANI,
Iohannis Filii, Medici Orphanorum expertissimi.

FOntanus sequitur cari vestigia patris,
Illustratque artem, proavi, retroque sequentes,
Quam tribuere patres, PlempI cognomine clari,
Ergo Plempiadas genuinos gloria jugis,
Fontanosque manet, dum Phœbum laurea comit,
Et Medicina viget, Fontanus honore vigebit.

Zacutus Lusitanus M. D.

In Institutiones Pharmaceuticas Doctissimi Viri,

NICOLAI FONTANI,
Orphanorum apud Amsteldamenses Medici.

QVem quondam Clario hausisti de fonte liquorem,
Fontane, hunc clarum porrigis & niridum;
Patris ad exemplũ,proavũmque; proinde vocandus
Artis tu Phœnix jure Machaoniæ.
Cur igitur Cives aliorum flumina vultis,
Nectar cum Fons hic præbet & Ambrosiam.
Vos Medici bibitote. Tuos FONTANE liquores
Hippocratis natos flumine funde procul.

G. Heeremans I.V.D.

Claris-

Clarissimo & Excellentissimo viro

NICOLAO FONTANO,

Institutiones Pharmaceuticas publicanti.

PRæclara laus est, eruditis artibus,
Queis seculo prosimus, antecellere
Vulgus profanum. major inde gloria
Descendit, ac si clarus ortu nobili,
Auroque multo dives illustret domum.
Hæc namque fati subjacent arbitrio,
Levique casu pristinum mutant herum.
Nec tam decorum splendida nasci domo,
Quam turpe, avitum nomen indecentibus
Fœdare factis. Omne sed punctum feret,
Et NOBILIS *dici meretur, qui bono*
Prognatus ortu propriis virtutibus
Decus paternum tollere in majus studet.
Tibi utriusque copiam fecit Deus,
Fontane, clarus dum propage nobili
Virtute vincis generis auctores tui.
Hi namque pulsi celsiori ab indole,
Cupidique laudis, artibus præ cæteris
Ad hanc laborem transtulere, quæ modos
Docet medendi: pellere ut scirent graves
Morbos ab ægris, & salutem corpori
Morti propinquo reddere. Hæc vestigia
Et ipse totus persequens Apollinis

Instru-

Instructus arte non modo morbis levas
Affecta membra, sed per artem cognita
Profers ad usus publicos, dum pharmaci
Confectiones eruditas nunc doces.
Fontane, quantum te manebit hinc decus,
Originis memor quod altæ patria
Et avita sectans studia, fontis illius
Vnda salubri Corpus & Mentem *irrigas:*
Dum reddis illud sanitati, & instruis
Hanc docta per præcepta te Medicum sequi.
Cures ab isto fonte plures rivuli
Vt in nepotum floreant nepotibus,
Parique cura seculo fructus ferant.

Debitæ observantiæ testandæ scribebam
IOHANNES CHRISTENIVS.

In Pharmaceuticas Institutiones
Clarissimi Viri,
NICOLAI FONTANI,
Medicinæ Doctoris, & Amstelda-
mensis Orphanatrophii Me-
dici ordinarii.

ILlimi de Fonte scyphos hos promit Apollo,
Quis Fons! quem privum dicit Apollo sibi.
Non hic tabidulas tantum solarier herbas
Natus, at humanis artubus utilior..
Hic Fons melle scatet, mel arida germina condit,
Hic Fons, si superet, uberiora feret.

I. Hilandros Art. & M. D.

In

In Pharmaceuticam Doctissimi & in morborum curatione felicissimi,

NICOLAI FONTANI,

Medici Amstelodamensis.

QVòd Patris, quòd Avi, Proavique Abavique medendo
Inhæreas vestigiis,
Innumeros gelidæ revocans à limine mortis
Herbis potentioribus;
Frondis Apollineæ cingit tua tempora ramus
FONTANE Doctor inclyte.
Ast ubi præclarum Solis translatus in orbem
Inter Medentes fulseris,
Ipse tibi proprii partem concedet honoris
Præses chori Machaonis:
Vt quicumque tuo lympha de Fonte petita
Ægris salutem infuderint,
Semper odoratos gestent in vertice flores,
Tuo sacratos Numini.

In Eamdem.

Quisquis diversis quæris medicamina morbis,
Iste salutiferas Fons tibi promet aquas.

Amicus amico.

Elen-

Elenchus rerum quæ hoc libro tractantur.

PHAR-

LIBER INSTITVT. PHARM.

Tractatus universalis, De *Medicamentorum Ponderibus, & eorum notis.*



IN tres partes distinxit Medicorum Princeps *Hippocrates* artem medicam, nempe; In *Diætam*, quæ tenuiori, vel pleniori alimẽto instituitur: in *Chirurgiam* quæ divisione, ac conjunctione absolvitur: Ultimo in *Pharmaciam*, de qua noster tractatus & labor erit, quæ in medicamentorum cognitione, præparationeque consistit, una resolutione, ac cõpositione perficitur ut medicorum Coryphæus testatur lib. 1. de victu acuto. De illa multi multa in lucem ediderunt, capita & sectiones electuariorum, specierum, atque syruporum, di-

verſo ordine ſtatuerunt, ſed ego cum Baudoronio, & Renodæo de Conſervis & Syrupis, poſteaquam pondera abſolverim (quæ in poſteriori ordine ponuntur à multis, ſed à me priori, ut unuſquiſque qui huic arti incumbendi deſiderio tenetur, hiſce notis, perfacile cætera quæ ad laudem ejus & utilitatem proximi pertinent, addiſcat) incipiendum judico.

Notate, omnia quæ in orbe terrarum à rerum omnium largitore creata ſunt, certo numero, pondere, atque menſura, ut cum literis ſacris atteſtantur Philoſophi, conſtare: Conſiderate quòd ille verus æternuſque Deus tandem hoſce, qui juſtitiam & æquitatem bono animo ſecuti fuere, ad aſtra vehat, ubi audituri ſunt vocem exclamantem: Obſervaſtis juſtitiam, & Deus novit corda veſtra.

Eſtote Medici manus dextra, diſcite Iuſtitiam, & audite Ambroſium inquientem in lib. de parad. *Proſis aliis, non tibi, utilitates tuas neglige, communia emolumenta præpone.*

Hoc agit juſtitia, quæ nihil alienum vendicat, quæ cuilibet dat quod ſu-

un

um est, quæ propriam negligit utilitatem. Si verò Iustitia postponatur, sequitur labor periculo plenus: nam in medicina sæpe bis peccare non contingit. Tunc enim non solum Medicum, vosipsos & ægrum decipitis, sed animam vestram immortalem pessundatis.

Occurrunt elementa, ex quibus pondera constant. Inter quæ Granũ, græcè epion dictum, primum est. quod, attestante Fernelio cap. vj. lib. IV. *Method. med.* omnium ponderum est minimum.

Sequitur dubitatio satis memoranda, à nullo ante Bandoronium agitata; & à me hoc loco proposita, quonam grano hic & ubique locorum ponderandum sit sine clade, incommodo, vel alteratione ægri? Vultis hordei granum, lentis, cicerum, piperis, vel tritici? Erratis. Ideo audite Baudoronium, qui inquit tract: universali de Ponderibus: *Si Aër siccus & serenus sit, grana erunt sicca: sin verò pluviosius, ob humiditates & vapores, mollia, & ex consequenti erunt graviora.* Igitur quæ eligenda?

Cum Fernelio illud minutum numarium, quod aurifabri granum appellant, quodque latinè dici poteſt momentum, nam hoc omnibus mundi nationibus unum idemque eſt ac ſtabile.

Sequitur Chalcus ſive Æreolus qu pendit grana duo, ſive ſiliquæ dimidium. is jam in uſu non eſt, ſicuti olim. *Siliqua* à Græcis Ceration, ab Arabibus *Kirat* dicitur, habet Chalcos duos, ve grana quatuor.

Davicq. alterius ponderis nomen eſt, non apud noſtros, ſed Arabes uſitatum: continet ſiliquas duas, vel grana octo: Semiobulus valet Ærëolos tres Siliquam unam & dimidiam.

Obulus Arabicè Onoloſat tam hoc ſeculo in uſu eſt, quam ſuperiori; ſiliqua habet tres, ſeu Chalcos ſex, aut ſem ſcrupulum, vel grana duodecim.

Scrupulus Græcis Gramma eſt quaſi primum ponderis elementum, & tot ſunt in uncia ſcrupuli, quot in alphabeto græco literæ: nempe vigint quatuor, juxta metrum Poëtæ Faunini.

Vnci

Vncia fit drachmis bisquatuor, unde putandum
Grammata dicta, quod hoc vigintiquatuor in se
Vnci : habet, tot enim formis vox græca notatur.
Horis quot mundus peragit, noctemque diemque.

Non levis error multorum cognoscitur, qui viginti grana pro scrupulo statuunt & non viginti quatuor, ut Domini videre possunt in tractatu Baudoronii de ponderibus, in quo ait: *Libram si legeris ne plures quam duodecim uncias sume, hic, & in omni loco, quæ pro quarta parte tres uncias & non quatuor, quod mercatorum est, habet;* Vnaquæque uncia octo drachmas, drachma scrupulos tres, scrupulus vero viginti quatuor grana, quæ faciunt 72. grana pro unaquaque drachma. Numerum si observaveritis, vobis honestum nomen, ægro sanitatem, medico honorem, absque dubio, comparabitis.

Aggrediamur Drachmam, apud græcos Holce dictam, octavam unciæ partem, non nonam, ut Salernitanus inquit, quæ notatur ʒ.

Hanc sequitur Denarius Romanus, qui apud aurifabros ponderosior est.

Hanc Medici ſcrupulum vocant. Tenet grana XXIV. illorum vero valet octoginta dūobus granis. itaque ſeptem Denarii Vnciam conſtituunt. Notandū quod Romani Denarium pro Drachma, & vice verſa Drachmam pro Denario, ob parvum inter illos diſcrimen, ſtatuerunt, teſte Galeno lib. octavo de Medicam. loc. ubi ait: *Denarium Romanum, Græcorum eſſe Drachmam. Notantur.* ℈., vel Den.

Aureus, Exagium, Sextula, & Solidus non niſi nomine differunt, nam pendunt ſextam Vnciæ partem, nempe quatuor ſcrupulos, ſi octo drachmas cum Græcis dixeris, ſeſquidrachmam, ex auctoritate Salernitani, qui ex novem Drachmis Vnciam conſtruit, notantur: Aur. Exag. Solid. & Sext.

Aſſarius, vel Sicilicus Didrachmam apud Scriboniū pendit. notatur ʒij.

Quæ tertiam Vnciæ partem habet ex octo Scrupulis confectam, Duella nominatur, literiſque primis notatur, Duell.

Sator ſemiuncia eſt, Dupondiū quoque dicitur. pendit Aſſaria duo, notatur, ℥ ß, vel ʒ. IV.

Ad

Ad Vnciam perveni. quæ duodecima libræ pars eſt, tam apud Græcos, quàm Latinos, & Arabes.

Pendit ℥. viij. vel ſeptem denarios, vel ſcrupulos xxiv. vel grana 576. teſtante Baudronio, cap. de Ponderibus, §. *Errorem multi committunt malè ducti auctoritate Nicolai Salernitani, Saladini, Nicolai Præpoſiti, conſtituentes tantummodo ſcrupulum ex xx granis.* Quod animadvertit Renodæus in inſtitutionibus Pharmaceuticis, cap. de Metridatio.

Nec non Iacobus Sylvius lib. iij. de Medicamentorum præparatione, cap. de Ponderibus, ac olim meus in celeberrima Duacenſi Academia venerandus Profeſſor, Doctor Ludovicus Gardinius lib. de Remedio errorum, contra acutiſſimum Fernelium falſò deceptum.

Quem ſi rectè revolvatis, non dubito, quin omnis abuſus & omnis ejus occaſio bonis avibus exulabunt, ſicque pondus nobis remanebit juſtum & verum. Faxit Deus, O! Faxit in multa ſæcula, in bonum ſanitatis, conſcientiæ tranquillitatem, & Reipublicæ commodum, ac utilitatem.

ſi ſextans ſcribitur, cape. ℥ij, ſi triens, tres, quadrans, quatuor, quincunx, quinque, ſemis, ſex. Semis ſignificat mediã alicujus ponderis partem, ſeu ℥vj. ſeptunx, ſeptem, bes vel octunx octo, Dodrans, novem, Dextans, decem, Deunx, undecim, &c.

Omnia quæ numerantur, ut, Amygdalæ, Sebeſten, Pruna, aut ſimilia, præſcribenda ſunt, monente Rondeletio, notis priſcorum Romanorum, quæ ita depinguntur. i. ij. iij. iiij. v. vj. vij. non Characteribus, vel Ziphris, ne ignarus tyro, pro drachmis 32. depictis, triginta duas aſſumat.

Ana plurium medicamentorum æqualem eſſe aſſumendam portionem indicat hic, & ubique locorum.

Ne pondera ex plumbo conficiatis, nam illa facile obducuntur ſordibus, & gravantur ac deinde multa purgatione leviora fiunt; ſit vobis materia immutabilis, ut ferrea, ærea, vel argentea, quam ego ex aliis eligerem.

Caput II. *De Menſuris.*

Non ſine ratione divinus ille Plato hominem omnium animantium ſapientiſſi-

entissimum dixit, quod numerare noverit. Nam ponderando unicuique suum tribuitur, quot jussit Deus opt. max. Levit: 19. & Deut. 26.

Dum ait: *Omnia justo pondere atque mensura trutinentur*. Itaque mihi cogitanti nihil firmum ac stabile præter Deum in hoc seculo manere, atque omnia temporis mutatione mutari, operæ pretium me facturum putavi de certo etiam mensurarum genere, quod hic & ubique locorum in usu sit, pauca loqui.

Sicuti pondera pro solidioribus, ita mensuræ pro liquidis medicamentis constituuntur. Discrimẽ inter hoc illudve liquidum satis magnũ apparet: verbĩ grat. oleum levius vino: quia constat partibus aquosis. E contra mel duplo ponderosius est oleo, ob naturam densam & gravem. Hisce perpensis Pharmacopæus mediocriter saltẽ versatus omnia pondera priscorum ad nostra redigere potest. Interea quid Congius sit, petimus.

Ex Congio vel Cho pendent cætera, Congius vel Chus in regione Persarum, & Romanorum pendebat libras decem, sed apud Athenienses, novem.

Et quod Sextarius ab Arabibus, vel

Christ dicitur, sextam Conchii partem tenet, quæ apud græcos valet libra 1 ß, apud Romanos ℥ xx, quæ libram habet 1. & ℥ viij.

Cotula vel Hemina, semi-pars Sextarii est. quæ, ut Galenus testatur lib. 10. de Compos. medicamentorum, & in compositione Andromachi, & Hieræ, apud Græcos valet ℥ ix. sed apud Latinos decem. qui tamen nullum, quamvis Græcus esset, inter hæc pondera discrimen habuit: nam cùm Romæ vitam degeret, in hisce parum vel nihil mutavit. Ita, ut judicem illum de re tam facili, atque nullius momenti nunquam verbis concertasse.

Pendit ergo Congius olei libras nove͂, vini decem, tredecim & semis mellis.

Sectarius continet octodecim uncias olei, viginti vini, & viginti septem mellis, quæ duas libras & quartarium constituunt.

Hemina novem uncias olei capit, vini mediocris substantiæ decem, tredecim & semis mellis.

Mystrum magnum uncias tres olei, vini verò uncias iij ✻. viij. sed ℥ iv ß. mellis continet.

Acetabulum octodecim drachmis olei,

lei, ℥ij. ℈xij. vini, ʒ iij. ℈ ix. mellis perficitur.

Cyathus, ita ob similitudinem vitri dictus, ʒ.x. olei habet, ℥ iß. ℈ iv. vini, ℥ ij. ʒ ij. mellis.

Parvum mystrum ex sex Drachmis olei, & viginti scrupulis vini, & drachmis novendecim mellis paratur.

Mensuras tam apud Græcos, quàm Arabes, & Romanos usitatas recitavi, quibus unusquisque absque læsione cõscientiæ, sine Medicorum controversiis, hic, & ubique locorum uti poterit. Iam de iis quæ manu exhibentur.

CAPVT III.

De Manipulis.

CVm Fasciculus inter manuum mensuras maximus sit, statuo ab eo quasi à corpore integro, id est, ab universali, ad particularia pervenire.

Fasciculus itaque est, quod toto comprehenditur brachio. Notatur primis majusculis literis, FASC.

Raró notatur vel præscribitur, nisi in exhibitione viridium herbarum, quibus utimur in magna quantitate, ut pro balneis, semicupiis, &c.

Manipulus est, quod manu comprehen-

ditur. Notatur M.
Pugillus quod tribus digitis. Notatur P.

Semis medium eſt, ut in Cap. de Ponderibus ſatis abunde diximus, notatur. ß.

Omnia â ſenioribus in lucem edita, repetere ſuperfluum eſt. Si quis ergo illorum menſuris, curioſitatis cauſa, ſtudere tentet, legat Galenum, Cornelium Celſum, Paul. Æginetam, Avicennã, Aëtium, Scribonium, Oribaſium, Salernitanum, Saladinum, Præpoſitum, Rondeletium, Fernelium, Iacobum Sylvium, Baudronium, Renodeum, atque Cordum, vel plures, qui hoc tempore de hiſce tractarunt.

CAP. IV.

Referuntur aliqua generalia nomina, ſub quibus ſimul, comprehenduntur plura, quæ ponuntur in deſcriptionibus decoctorum, quibuscum diſſolvuntur purgantia, aut infunduntur.

Quinque radices aperientes.

Petroſelini.
Fœniculi.
Apii.
Ruſci, &
Aſparagi.

Aliqui loco radicum Apii, ponunt radices Graminis.

Herbæ IV. emollientes.

Malva.
Althæa,
Violaria,
Acanthus, id eſt, branca urſina, vel
Mercurialis,
Beta.
Parietaria &
Atriplex.

Modo ſumpſeris quatuor quaſlibet ex his octo, habebis quatuor herbas emollientes.

Omnes capillares herbæ, ſive quinque capillares.

Polytricum.
Capillus Veneris.
Adiantum vulgare.
Salvia vita, vel
Ruta muraria, &
Aſplenium, ſeu
Ceterach.

Semina IV. frigida majora.

Melonum.
Cucumeris.
Cucurbitæ, &
Citrulli, vel
Peponis.

Semina IV. frigida minora,

Lactucæ.
Portulacæ.
Endiviæ, &
Cichorii.

Semina IV. calida majora

Anisi.
Fœniculi.
Cumini, &
Carui.

Aliqui loco Cumini substituunt Coriandrum.

Semina IV. calida minora.

Ameos.
Amomi.
Apii, &
Dauci.

Flores cordiales tres calidi.

Chamomillæ,
Meleloti.
Anethi, aliàs Liliorum.

Flores cordiales tres frigidi.

Violarum, aliàs, Rosarum.
Boraginis, &
Buglossi.

Hi flores etiam intelliguntur, quando simpliciter de tribus floribus cordialibus est mentio, sine prolatione frigidorum.

Aquæ cordiales quatuor.

Endiviæ.
Cichorii.
Buglossi, vel, Boraginis.
Scabiosæ, vel Melissæ.

Nota præscribendi modum. Nam quando dicitur: Radicum quinq; aperientium unciæ ij. sine voculâ (ana) tunc oportet sumere tantummodo aliquid ex singulis radicibus aperientibus, ita ut omnes quinque simul junctæ efficiant unc. ij. dumtaxat. Si verò diceretur cum vocula (ana) sic: radicum quinque aperientium ana unc. ij. tunc oporteret sumere radicum aperientium unc. x. id est, unc. ij. ex singulis.

Qualis Pharmacopæus esse debeat.

ANtequā institutū nostrū aggrediar, quid Pharmacopæus, & qualis esse debeat, quale itidem illius objectum, seu finis sit, placuit hoc loco, rudiori, ut ajunt, Minerva, vobis præ oculis ponere.

Vitæ probitas non tam in Philosopho, quàm Pharmacopæo, qui vel tuendæ, vel resarciendæ sanitatis gratia, medicamenta parat, & porrigit, expetitur. in ejus enim manibus morbus & sa-

& ſanitas, vita & mors. Atqui illi cum mala mens eſt, vel neſcia recti, libera patet nocendi & necandi poteſtas: ſicq; præſtat Pharmacopæum eſſe virum bobonum, quam Socratem.

Debet autem inprimis eſſe pietatis ſtudioſus, divini nominis cultor, invidiæ & livoris omnis expers, ſanus mẽte, artis Grammaticæ gnarus, bonorum fortunæ nec indigus, nec auri vel pecuniæ ſitiens, & laboris diurni nocturnique patientiſſimus. Atheus enim ut nihil ducit creatorem, ſic nec creaturam; Et,

Invidus alterius macreſcit rebus opimis.

Fatuus vero id habet proprium, ut velit nocere; Et imperitus nil niſi quod ipſe facit, rectum putat, ideoque eo nihil injuſtius. Avarus autem nulli bonus, adeo ut ſibi ipſi peſſimus ſit, & egenus facile fiat veneficus, Ad turpia enim cogit egeſtas.

Indigni quoque ſunt Pharmacopæi nomine & dignitate, ſcurræ, bibuli, hiſtriones, mimi, errones, garruli, impoſtores, agyrtæ, tenebriones, & circulatores, qui nugis, fraude, jactatione, promiſſis vanis, adulatione, & men-

mendacio plebeculam decipientes, ipſius crumenam exhauriunt; Nihil enim Reipubl. magis infenſum id genus hominibus, *cane quovis peioribus & angue.*

Dum autem idem ſit ſubjectum Pharmaciæ, & Medicinæ, nempe corpus humanũ, quatenus ſanitatis eſt, vel morbi ſuſceptivum, multa habent inter ſe communia Medicus, & Pharmacopæus, ut prudentiam, probitatem, diligentiam, & medicamentorum cognitionem. Sed cum Pharmacia inſerviat, miniſtret, atque ſubjecta ſit Medicinæ, habeatque tantum pro objecto medicamentum, & pro ſcopo, & fine formam debitam medicamenti, cum ulterius progredi Pharmacopæus audet, pro Pharmacopæo veneficus, & circulator habendus eſt.

Officium igitur Pharmacopæi eſt, medicamenta ſolummodo tractare, atque uſum ſalutarem Medici conſilio juſſuque adhibere. Quod ut fœliciter conſequatur, primo debet ea ſeligere, ſecundo præparare, tertio componere.

Quæ omnia ut rectè ad proximi commodum efficiantur, te clementiſſime Pater ſupplex oro, ut meam, Pharma-

copæo-

copæorumque mentem clarissima sancti Spiritus luce illustres, ut tandem mei, & illorum conatus, ad tui nominis gloriam referantur. Amen.



PHAR-

LIBER PRIMVS.
Sectio Prima.
CAP. I.
De Condîtis, & Confectionibus in genere.

ANte omnia de Conſervis & Confectionibus gulæ, ſtomachoq; gratis, humanę naturę familiaribus tracto: quæ tam pro alimento, quàm pro medicamento haberi poſſunt.

Plantæ, earumque partes ob quatuor cōdiuntur rationes. Prima eſt, ut palato jucundiores ſint. Secunda, ut diu ſervẽtur integræ. Tertia, ut facultas illarum debilis mixtione majorem vim acquirat. Quarta, ad auferendam, vel ſaltem obtundendam malignitatem ſuperfluã: quod fit infuſione, coctione, aſſatione, uſtione, atque lotione, & hiſce ſimilibus, ut poſtea apparebit.

Plantæ partes condiendæ illo tempore, quo illarum vires vigent maximè, ut monſtrat Dioſc. in limine libri primi, & poſt illum Galenus.

Radices ſucculentæ, leves, & raræ, non niſi vere, vel initio æſtatis, antequã illarũ ſuccus thyrſos, ramos, frondesque pertranſiverit, ut Apii, Bugloſſi, Cichorii, & aliæ multæ. Vice verſa, quæ ex ſubſtantia craſſa, denſa, & gravi conſtant,

constant, habentes humiditatem superfluam, in Autumno, quo tempore plantæ foliis suis exuuntur. Nam tunc calore solis humiditas consumitur, & vis stirpium multarum fugit ad radices, atque humor magis est percoctus, teste Gal. de alim. facult. cap. 16. Cælo sereno, plenilunio sunt radices Satyrionis, Irios, Scyllæ extrahendæ, ut videre est apud Diosc. loco citato.

CAP. II.

De Conditis in specie.

DVorum apud Græcos est generum cynosorchis, seu satyrii. Sed eligendæ illæ radices, quæ bulbosæ oblongæ. Vires earum examinandæ, apud Diosc. libr. 3. cap. cxxij. fol. 271. Sequitur condiendi modus.

℞. Radicum Satyrionis in Autumno electarum, lotarum, & à primis pelliculis mundatarum. Lib. 1. Coquantur in aqua donec tenerescant, deinde in umbra siccentur, sepositis linteis.

Exsiccatæ misceantur cum pari portione sacchari, in earum decoctione, clarificati, ad electuarii consistentiam

cocti,

cocti, tamen poſtea ob majorem conſervationem, & conſiſtentiam paulo altiorem, exponantur ſoli, ut aquæ humiditas tota diſſipetur: ſerventur in olla benè vitreata & cooperta ad uſum.

Vires poteſtis videre apud Io. Meſ. latè.

CAP. III.

De rad. Symphyti majoris, Iridis, Acori, & Enulæ campanæ.

DE hiſce ratio planè eſt eadem, uti de præcedentibus, attamẽ diſcrimen parvum eſt, nam illæ integræ, hæ autem per taleolas conciſæ cõdiuntur, Propter amaritudinem diutius aquæ s. q. debẽt infundi, ut Iubertus monet, hunc conficiendi monſtrans modum, In hiſce ego Baudronii ſententiam ſequar, qui radices primum lotas & mundatas coquit, deinde tundit, poſtea cribro tranſmittit, tunc excipit duplo ſaccharo ad electuarii cõſiſtentiam cocto, & calefacit tantiſper dum humiditas ſuperflua diſpareat; quæ cum evanuerit, pyxidibus recondit. Si quis fuerit, qui penes ſeſe illas tempore peſtis, vel

itineris habere optat, poterit modum conficiendi radices Satyrionis ſequi, ſed neminem obligare volo. Vnum addam: Quo craſſiores radices meliùs purgatæ fuerint à fibris ſuis, eò diutius conſervabuntur, & uſui accommodatiores erunt.

CAP. IV.
De Radice Bugloſſi, Boraginis & Cichorii.

REctè quidem hæ radices juxta modũ rad. Satyrionis condiuntur: ſed tamen conſulerem illas lavare, & ab internis partibus durioribus, (quæ cor, vel pars lignoſa interna dicitur, aut matrix) mundare, & ad mollitiem coquere; deinde extendere ſupra linteum pannum in umbra per biduum, aut triduum, ut ſuperfluus aqueus humor evaneſcat, & ſaccharo, aqua, vel decoctione harum cocto ad juſtam conſiſtentiam, eas addere, & coquere denuo, donec humiditas ſuperflua, quę aucta eſt, conſumatur.

CAP. V.
De Radicibus Eryngii.

NOtandũ quod Eryngium à Sylvio, multiſq; aliis ſupponitur pro Seca-

cul

cul Arabum, ex Indiis Orientalibus allato, ſed incognito multis. A Rondoletio in officina Pharmaceutica, gallicè: *Gingiber mechyn*, dictũ eſt. Sed ut ſine ullo dubio de hac radice vera judicare poſſitis, legite Serapionem inter Arabes excellentiſſimũ libro de Simp. cap. 89. tract. 7. & cap. 35. Avicennam poſt illũ libr. ſecundo, cap. 670. tract. 7. Nec non caput Hali, filii Abbatis, duodecimum,

In horto civitatis Aleppæ foliis noſtræ peſtinacæ herba ſimilis floruit, quæ apud multos pro vera Secacul habebatur. Sed vulgatiſſima Medicorum opinio eſt, Eryngiũ à Secacul minimè alienum eſſe.

Ratio condiendi eſt cum aliis communis: nam primo rad. Eryngii cortice extimo, lignoque interno exempto plures dies in aqua pura (non ut aliqui volunt ſalſa) tam diu infundi debent, donec molleſcant, deinde, ut præſcriptæ, condiendæ. Meſues quædam aromata addit, ut cinamomum, zingiber, chariophyllos, & ſummopere mel ad cõdiendum laudat, ſed nos cum Bauderonio ſaccharum pręponimus.

CAP.

CAP. VI.

De Corticibus.

QVia tutior certiorque via condiendi à junioribus inventa eſt, ad præſervationem corticum Arantiorum, Limonum, Citriorum, &c. ideo modus à Doct. Meſue præſcriptus parum curatur.

Cortices ex lixivio dulci, vel aqua pura coquantur donec tenereſcant, & pellucidi fiant, ut immunes ſint ab amaritudine; deinde affunditur iis Iulapium ex aqua & ſaccaro coctum, in quo quatuor dierum ſpatio macerētur, denuo coquantur; donec acquirant justam conſiſtentiam. Poſtea inſolentur propter humiditatem ſuperfluam.

CAP. VI.

De Caulium conditura.

PAuci plantarum condiuntur caules partim ob duritiem, partim etiam ob inſuavitatem, vel qualitates inutiles, ideo inconſultum mihi videtur tempus

in iis

iis inutiliter terere, ſed uno exemplo propoſito, ceterorum condiendi modus facile eluceſcet.

℞. Caulium lactucæ criſpæ à pellicula exteriori purgatorum lib. 1.

Coquantur ex ſ.q. aquæ pluvialis, donec molleſcant, deinde exſiccentur linteo, poſtea ſume par ſaccari pondus, & cum aquę ſ.q. coque, donec ſyrupus aliquanto craſſior evadat, & repone in vaſe habili.

Si forma ſiccior magis arrideat, exterius tergeantur & ſiccentur, cum per unã atque alteram ebullitionem in ſaccaro percocti fuerint.

CAP. VIII.

De Fructuum Conditura in genere.

Nonnulli fructus virides in locis ubi creſcunt condiuntur, ut, Myrabolani, Nuces Moſchatæ, Caſſiæ fiſtulæ.

Per virides intelligimus recentes, cum Meſue cap. de Elect. Pſylli. In hiſce vero regionibus, vel integri, vel diviſi ante maturitatem, vel dum maturi ſunt, condiuntur cum melle, vel Saccharo, ut Nuces, Amygd.

Maturi, ut Berberes, Pira, Cerasa, Abricotti, Cydonia, Pruna.

CAPVT. IX.

De fructuum conditura in specie.

Nuces virides, & adhuc teneræ dies xv macerãtur, quater quotidie mutata aqua, tribus quatuorve foraminibus prius pertusæ. Amaritudine exuta coquantur aquâ, donec satis emollitæ videantur, deinde melle affuso despumato reponantur. Post triduum propter humiditatem superfluam denuo coquantur ad syrupi formam. Antequam hoc fiat cousulerem ut nuces coctæ frustulis Cinamomi, aut Garyophyllis per longum scissis cõfigantur. Sunt qui saccharum, sunt qui mel volunt, quod perindè est. Vt albæ appareant, ab externis mundentur corticibus, & infundantur aquæ clarissimæ, sine Cinamomo Garyophyllisque, & postea cum s. q. saccari coquito ad consistentiam

CAP. X.

De Prunorum, Pirorum, Malorum, Persicorum conditura.

In hac conditura sequimur eandem methodum

methodum, cum ferè matura ſunt. A pellicula exteriori mundentur, tum paulatim ebulliant in ſ. q. ſacchari aquâ purâ cocti ad mollitiem, reſerventurq; uſui.

CAP. XI.

De Amygdalis,

Quid de ijs multa dicam: quandoquidem in propriâ regione condiuntur, vel ex melle albo, vel ex Saccharo puro, menſe Iulij, ut Nuces.

Poſſunt etiam involvi Saccharo, ut Saccharo Aniſato, Carvino, et ſimili.

CAP. XII.

De Olivis.

Non condiuntur Melle, vel Saccharo, ſed Muriâ, quâ amaritudinem amittunt.

CAP. XIII.

De Cerasis.

Veniamus ad Cerasa, quæ hoc modo condiuntur. Sacchàro purgato, & coctione inspissato, aliquãto magis quam si manus Christi (quod Saccharum Rosarum dicitur) conficeretur, cerasa incorporentur ad justam consistentiam, excoquantur, adserventur, reponanturque usui.

Nota quod signum perfectæ concoctionis Sacchari sit, si super marmor vel pelvim projectum non adhærescat. Itidem faciendum est de Oxyacantha, vulgo Barberes, de uvis immaturis, & Ribis.

CAP. XIV.

De Pulpa Cydoniorum.

CApe Cydonia matura, cortice exteriori liberata, & â parte interna ossea purgata & in parvas partes divisa ad placitum, coquantur in saccharo aqua diluto, donec simul acquirant rubedi-

pedinem, tum agitatione continua mu-
entur in pulpam pyxidibus includen-
dam.
Obſerva quod unicuique libræ pulpæ
cydoniorum addatur lib. ß Sacchari.
Si quis medicorum pulpam Cathar-
ticam optet, addat libræ pulpæ calidæ
ab igne dimiſſæ ℥ ß, vel drachmas VI.
ſcammonii pulv. optimè: cinamomi
ſubtiliſſ: ℈ ii. & det ægro ℥ unã ex mix-
tura cydoniorũ: quæ quantitas ſufficit
ad Choleram movendam in iis qui à pil-
lulis abhorrent. Si pituitam, adde un-
ciam Turpethi, quatuor ſcrupulos Zin-
ziberis pulveriſati, unicuique libræ: ſi
utramque ſimul, fac partes æquales
ſcammonii, & Turpheti, & da ſecun-
dum qualitatem perſonarum. Sic Meſu-
es & Nicolaus.

CAP. XV.

De foliorum conditutis.

COnvertam me ad herbarum folia,
quæ vel natura humida, vel ſicca
ſunt.
Si humida, ſuccum extrahe, & cum
duplicato ſaccharo coquantur in ſyru-
 pum,

pum, vel paulo altius. postea hui adde residuum benè in mortario marmoreo cum pistillo ligneo pistatum ac mixtum: servetur in ollà vitreâ.

Si sicca, ut Absinthium Ponticum, Capillus Veneris, Ceterach abjectis pedicillis & fibris, pistanda sunt, ut supra, addita duplici Sacchari quantitate ad incorporandum.

Sunt, qui herbas pulverisant, & Saccharo earum infusione rite decocto excipiunt. Quod probat summopere Bauderonius lib. I. sectione I. *de foliorum condituris.*

CAP. XVI.

De florum conditura in genere.

Non omnes ad Conservas idoneos esse scitote, tamen non nego ex omni florum genere fieri posse: sed affirmo, quod aliter medici, ars ipsa, et experientia statuerint. Flores autem qui condiuntur sunt vel humidi, vel medij, vel sicci. Humidi sũt flores violarũ, Buglossi, Boraginis, Cichorij, Neupharis. Sicci:

Sicci: Tamariſci, Stæchados, Rosmarini. Medij, Roſæ, Betonicæ, & ſimiles.

Sunt qui volunt humidiores ſole exſiccandos eſſe, inter linteola, ad diminuendam ſuperfluitatem, ut poſtea melius Saccharo triplicato miſceantur, ad formam conſervæ. quod â me non improbatur; ſed ſequendum judicio Framboſarij & Bauderonij documentum, quo monemur Saccharum floribus benè mixtum, piſtatumq; ſoli exponere, & bis terve in ſeptimana agitare, donec ſimul cocta, atque fermentata ſint. quod noſter Meſues lib. de ſimpl. med. purgantibus Cap. de Roſis demonſtrat.

Errant toto coelo illi, qui ſolummodò papyro ollam tempore inſolationis claudunt, eamq; perforant acu, exhalationis cauſa; præcipuè, cum Meſues claudi ſtrictiſſimè juſſerit ob virium labefactationem.

CAP. XVII.

De florum conditurâ in ſpecie.

Id quod Medicorum Anteſignanus diſtinctione quarta Saccharũ Roſatum, &

Nicolaus in Antidotario ſuo *Rodoſaccharum* nominant, à nobis *Conſerva Roſarum* dicitur, jure, & merito, nam noſtri ſaccharum Roſatum hoc eſſe dicunt, quod ex pari quantitate ſacchari, & aquæ roſaceæ, ad conſiſtentiam electuarii ſolidi coctum eſt.

Eſt noſtra Conſerva Roſarum duplex.

Mollis, quæ ex floribus duplo ſaccharo miſtis conſtat.

Solida, quæ ex floribus pulveriſatis, ſiccatiſque cum octuplo ſaccharo in aqua roſacea diluto, & ad electuarii ſolidi conſiſtentiam cocto (cui parum ſucci Agreſtæ, aut Succi Limonum commiſcetur) componitur. Loquar de ſucco Limonum vel Agreſtæ, ob colorem gratiorem, ſed moneo ne cum aliquibus ſceleſtis in perniciem utentium oleo Sulphuris utamini.

DE CONSERVIS.

℞. Ergo fol: Roſ. recentium, nondum perfectè explicatarum, & exungatarum. Libram unam. Terantur Roſæ in vaſe lapideo, & permiſceãtur Sacchari lib. ij vel iij ſimul. Aliquamdiu tundantur, & reponantur in vaſe vitreo, pergameno operculato.

In

Insolentur tribus mensibus, de die sæpè agitando, ut per omnes benè coquantur partes. Potest hæc conserva duobus annis colore constare, & ægris iucunditati esse. Sunt nonnulli qui cocto saccharo Rosas miscent; ut laudatissimam conservam parent, & nõ confundunt, sed forfice incisas, & saccharo addito manibus curiosè confricant. Hic modus mihi non probatur. Iam me convertam ad solidam, quæ conficitur ita.

℞ Rosarum ruberrimarũ exiguè siccatarum, & optimè à parte ima albicante (quæ unguis dicitur) mundatarum ℥ I. Ne ob triturationem faciliorem, igni, ut multi solent, admoveatur, nam facile odor rosarum periret, & Sacchari cocti, cui parum succi Limonum, vel Agrestæ commiscetur, ℥ VIII, formentur morselli vel longi, vel rotundi, pro-ut placet.

Hæc gratior molli est: nam huic drachma pulveris tantum unciæ Sacchari: Illi vero uncia semis addita est unciæ.

Color sex mensibus perseverat, si benè reservetur, Conserva violarum, eodem modo quo rosarum fit: hoc uno

excepto, quod hæ paulò diutius in umbra ſiccandæ, & cum ſaccharo inſolandæ ſint.

Idem eſt de omnibus floribus, conſervis, aut tritis aut integris, ut Boraginis, Bugloſſæ, Nenupharis, Cichorij, Roſmarini, Salviæ, Betonicæ, Sambuci, Fumariæ, Euphraſiæ, Rutæ.

Meſuei opinio refutatur de exſiccatione florum violarum, Bugloſſi, Boraginiſq;, ob eorum virtutem ſuperficialem, & citò diſſipabilem; quæ ſi amittatur, ſimul etiam vires amittunt: nam ex ſe humidiores non ſunt, quam vires poſtulant. Attamen ſi rore cœli, aut imbribus aëris maduerint, tunc ante conſervæ confecturam debebunt parum in umbra potius, quàm in ſole exſiccari. Nec mirum cuiquam videatur, quod hoc loco etiam de Melle tractem, quod apud latinos *Roſatum*, Arabes *Geleniabin*, Græcos vero *Rhodomel* dicitur. Nam id ipſum locus & ratio mihi perſuadent; quia ſpecies quædam Conſervæ liquidioris roſarum eſt. Ejus conficiendi normam cum ubiq; diverſam reperi-

rerim,

rerim, impræſentiarum tres vias pateſaciam.

Prima recipit

Ros. rubrarum integrarum & tritarum, ab unguibus purgatarum partem unam mellis albi, partes tres coquantur ſimul, & colentur pro uſu.

Secunda recipit

Partes æquales Ros. rubr. & mellis deſpumati, quæ ſimul inſolentur, per dies aliquot, & colentur ad uſum,

Tertia recipit

Roſas, & ſuccum expreſſum, & triplum mellis, quæ vel coquuntur leviter ſimul, vel exponuntur ſoli, & ita ſervantur ad uſum.

Sunt, qui ſuccum cuſtodiunt, & tempore neceſſitatis coquunt, cum Melle ad juſtam conſiſtentiam cocto, & ita exhibent. Sed mihi arridet modus tertius, quo mel ſecundum Medicorum mandatum optimum redditur.

Idem ſentiendum eſt de melle Ros. laxativo.

CAP. XVIII.

CAP. XVIII.

De Melle Anthoſato.

ANthos nomen commune eſt florum, quod Medici per *Anthonomaſiam* tribuunt flori Roſmarini ob ſpecificam dignitatem.

Modus parandi.

℞. *Flor. Anthos, ſeu Roſmarini lib.* I.
Mellis boni, bene deſpumati, lib. III.
Miſce in olla vitrea oris non valde patuli, inſola, & ſerva ad uſum.

Si Mel nimis inſpiſſatum fuerit, adde parum vini generoſi, ut fiat liquidius.

Cum Roriſmarinus bis in anno floreat, nempe, Vere, & Autumno, poteſt bis optimè confici dictis temporibus, tunc enim flos illius recens eſt, & ſuaviſſimè fragrat.

CAP. XIX.

De Melle Mercuriali.

NE ex floribus foliiſque maceratis componatur, nam quod ex ipſo ſucco conficitur, efficacius à nobis judicatur.

dicatur. Tam ex mari, quam fœmina succus extrahi poteſt, uterque enim vires affines habet.

℞. *Succi Mercurialis lib.* I. ß.
Mellis opt. depur. lib. II.

Deſpumando coquantur ad juſtam conſiſtentiam, Multa variaque mella eſſe docet ars Pharmaceutica, ut Scilitica, Myrthina, Myrobalanica, quæ omittenda ſentio. Tamen aliquid de melle Anacardino ſermocinandum, cujus modus conficiendi multiplex eſt. Nonnulli illos fructus aquæ tepidæ infundũt, & coquũt donec aqua rubeſcat, melliſque ſpiſſitudinē acquirat. Alii in aceto forti macerant per dies aliquot, deinde coquunt ad dimidias, poſtea cum melle in ſyrupum. Multi ſunt, qui Anacarda terunt, & melli vino liquato addunt, & ita coquunt atque colant. Utut ſit, nemo tenetur legibus, modò medico placere ſtudeat.

Fit etiam Mel ex paſſulis, quod hoc modo conficitur.

CAP. XX.

℞. *Paſſularum ab Acinis purgat. lib.* I.

QVæ infundantur lib. III. aquæ calentis XXIIII horas: poſtea co-

 quan-

quantur ad dimidium, Colatura fortiter expressa concoqui debet ad mellis consistentiam. Sunt qui mel addunt ob saporis gratiam, quod planè dissuadet Matthæus de Gradibus Cap. de Lepra.

SECTIO SECVNDA.

CAP. I.

De Sapis in genere.

Christophorus, *Rob* a *Robub* distinguens toto coelo errat, ut probat Serapio tractatu 7. Cap. 25. Avicena lib. 5. tractatu 6. Rhasis, & Mesues distinctione 6. qui sine ullo discrimine *Rob* & *Robub* pro quovis inspissato succo usurparunt. *Rob* absolutè prolatum idem quod *Sap a*, *Carenum*, & *Defrutum*, ut attestantur Græci.

Cum aliquid per nomen *Rob* significare placet, postponuntur plantarum nomina, ut *Rob Absinthij*, *Eupatorii*, &c. Ergo Rob vel R*obub* nihil aliud significat, quàm vinũ ad tertias coctum, quod nostri *Sapam* dixêre, vel succum herbarum, vel fructuum sole inspissatum cum saccharo vel sine illo, teste Nico-

Nicolao Præposito lib. 2. Cap. iij de Syrupis, quem summopere commendo Pharmacopæis.

Ex hisce multi per annos integri servantur, ut Aloë, Acacia, Hipocistis, succus Glycirrhizæ, & vinum coctum. Si quis huic expressioni Mel vel Saccharum addiderit, conservationis caussa, ille jam *Rob* simplex in compositum mutat, ut Rob Mororum, Nucum, Omphacinum &c.

CAP. II.

De Sapis in specie.

R*ob* per emphasin vinum dulce est ad tertias coctum. Succi vel extrahuntur prelo, vel sola manuum compressione: deinde per manicam traiiciantur, ut quicquid inest sordidum, linteo adhærescat, quò purior succus transmittatur: qui postea lebete aut alio vase exceptus insolatur, vel igne lento coquitur, donec aquea humiditas sit resoluta, formamq; solidam acquirat. Sic Mesues, Serap: Avicenna, & Nicolaus Præpositus sēserunt. Sapæ cōpositæ sequūtur, sicuti in sequēti

Diamo-

Diamoronis deſcriptione videre eſt. Quæ non ex ſolo ſucco ad tertias coᵭto, ſed ex diverſo ſuccorum genere una cum melle componitur, unde jure merito inter ſapas compoſitas locum occupat. Ejus compoſitio hæc eſt.

Recipiatur Succi Mororum Agreſtium, necdum maturorum lib. 1. Mororum celſi: id eſt domeſticorum ex arbore, non maturorum. Mellis deſpumati ana lib. ß. ſapæ noſtratis ℥iij. Coquantur leviter ſemper deſpumando, donec juſtam acquirat conſiſtentiam, uſui reponatur.

(*Nota quod morus apud Græcos ſit Rubus apud latinos*)

Diamorum idem quod compoſitio ex moris ſignificat, teſte Meſue. Multi de Diamorone multa ſcripſerunr, ſed inter omnes Medicorum deſcriptiones illa mihi optima videtur, quæ falſo Salernitana dicitur. Hæc Meſuei eſt, ut patet diſtinᵭtione quinta; Differt illa in quantitate, non in qualitate. Hujus nullam faciunt mentionem Græci, ut patet apud Galenum, libr. 6. de alim. S. locos Paul, Æg. lib. 7. cap. 14. Aeti. lib.

lib. 8. cap. 43. Trall. lib. 4. Myreps. sect. 9. Si cum Arabibus illo uti jubet necessitas admisceto vinum coctum, vel inspissatum, cum pelvis ab igne sit remotus, & succi refrigerati fuerint.

Dianucum simplex à Mesue compositum (cujus modum conficiendi Galenus, lib. 6. sec. locos patefecit) sic fit.

℞. Succi Nucum juglandium viridium Iunio mense extracti, lib. II.

Mellis despumati, lib. I.

Coquantur in syrupi crassitudinem ad usum.

CAP. III.

De Sapis,

Sapi Ribesarum, Berberes, Omphacij, Cerasorum, & Acetosorum, componuntur secundum sequens documentum.

℞. Succi, vel Ribesiarum, vel Berberis, lib. II, ß. coquito igne lento ad tertiæ partis consumptionem; cola, & subsidere permittito, donec clarescat. Clarum deinde igni clementi percoquito ad justam crassitudinem. Ad conservãdum cõsulo, ut lib. I. Sacchari albi addatur, & in syrupum coquatur iucun-

cundiorem & durabiliorem.

Mivam Cydoniorum ſimplicem & compoſitam manifeſtavit Meſues in Antidotario ſuo diſtinſt,6.

Simplex ita componitur.

℞. *Succi & vini Cydoniorum lib. x.*
Saccari vel mellis lib. III.

Compoſita veró pulveribus ſequentibus aromatiſetur.

℞. *Cinamomi electi, Cardamomi ana* ʒj. ℈j. *Garyophillorum, Croci, Troch: Galliæ muſc*; (quos in ſerie Trochiſcorum apud Cordũ, Fuchium, Framb: Bauderoniumq; & infra reperietis) *ana* ℈ij.

Zinſiberis, Maſtiches. Zyloaloës (quod lignum aloës dicitur) *& macis ana* ʒ ß *grana* VIII. *Moſchi* ℈ ß. Fiat pulvis ſindone ligatus, inter coquendum frequenter exprimendus.

CAP. IV.

De julapijs in genere.

Iulep vel Iuleb Perſicum nomen eſt, potionem dulcem ſignificans, quam Græci, veluti Actuarius, & Simeon ζυλάπιον nominant, qua ſyrupum minus coctum (quæ ex aquis ſtillatitijs, ut Roſarum violarum & vel decoctionibus

nibus ſimplicibus cum ſaccaro, vel melle ad craſſiorem ſubſtantiam elixatis componitur) exprimunt, ut aperte patet 6. diſtinctione Meſ. ſer. x. & xvII. Gentil. ſupra v. cap. Avicennæ. Improprie à rudioribus nominatur *digeſtivum*, quod à Græcis προπόματα id eſt præpotio dicitur. Iulep ſimplex & non ad ſyrupi conſiſtentiam coctum eſt acceptabile, ægriſque gratisſimum, ſed non diu durabile, præſertim ſi ex decoctione Iujubarum, ſimilibusque fructibus conſtet. Nemo veſtrum eam præparet, antequam præſcribatur à medicis, facile paratur jubente occaſione.

Chriſtophori opinio ſupra ſextam Meſuei diſtinctionem non admittatur, qui julapia ſyrupis coctis præponit, quod facile ipſi concederem, niſi certo ſcirem, illum in hac re inſigniter à vero aberraſſe.

CAP. V.

De Iulapijs en ſpecie.

Iulapium Roſarum vel Violarum.

℞ *Aquæ Ros. vel Viol. in alembico vitreo diſt. lib.* I.

Saccari albiſſ. lib. I. *coque, utendi tempore.*

Etiamſi

Etiamsi aquæ ſtillatæ poſſint (ut vulgus ſẽtit) ãno reſervari integræ, & cum Saccharo diutius; tamen conſulo, ut nõ componantur, niſi cum præſcribuntur.

Nam cum tẽpore facultas refrigerandi minuitur, & ægris ingratiores propinãtur. Antequã ſyrupos attingamus Iulapium Zyzyphorum doct. Meſ. hoc ordine, tuſſi ſingulare remedium, palato jucundiſſimum, præſcribam.

CAP. VI.

De Iulapio Zyzyphorum.

℞ *Iuiubas Numer. xxv.*

Aquæ fontanæ lib. I.

Coque ad medias, cum Saccari albi ℥ *IV. in Iulapium.*

Infundantur Iujubæ pingues, recentes, & fractæ, in aqua fontana per noctem, ſequenti die ebulliant ad conſumptionem tertiæ partis, deinde cola; Colatura ſaccharo addita clarificetur albumine ovi, & coquatur in formam Iulapii.

SECTIO

SECTIO III.

CAP. I.

De Syrupis in genere.

SYrupus aut ſimplex, aut compoſitus eſt ſecundum Meſuen. Simplex Syrupus duobus modis dicitur, aut ratione compoſitionis, aut efficaciæ.

Qui ſimplices dicuntur propter compoſitionem, parantur ex ſucco, maceratione, aut decoctione partium unius plantæ, tantum admiſcendo ſacchari quantitatem ſufficientem ad coquendum. Simplex Syrupus ratione effectus is dicitur, qui quamvis ex plurimis ſimplicibus concinnatus ſit, tamen unico deſtinatus eſt tantum operi: vel attenuat, vel aperit, vel inſpiſſat, vel calefacit, vel refrigerat, & ſimili cuidam indicationis ſcopo operam, opemque ſuam dedicat. Syrupus compoſitus nuncupatur, ratione diverſorum medicamentorum ipſum conſtituentium, ſive factus ſit ex ſuccis variis ſimul commiſtis, & coctis, cum ſacchari copia ad conſiſtentiam, quemadmodum Syrupus

pus byzantinus, de Mentha, ſive ex ſolo radicum, corticum, florum, foliorum, fructuum & ſeminum, plantarumq; decocto, ut ſyr: de Arthemiſia, de Praſsio, de Hyſſopo.

Quamvis Bauderonius Medicus & Pharmacopæus omnium exercitatisſimus cap. proprio *de Syrupis in genere* ſect. II. lib. I. dicat: Non adeò neceſſe eſſe Phamacopæo Etymologiam iuquirere, quæ ſpiritus ſolũmodo recreat, & nihil utilitatis adfert, quam parandi modũ benè aſſequi. Tamen ego veſtigijs priscorum inſiſtens illam ad unguem cum Actuario cap. I. lib. V. enucleare tentabo.

Syrapiũ igitur ab aliquibus à *Syria* & *Opos* cõpoſitũ eſſe dicitur, quaſi quis dixerit ex liquore Syriæ. Poteſt eſſe, quod iſtius regionis medici eum liquorẽ primi in uſu habuerint, eique tale nomẽ attribuerint. Ego tamen judicarem (ſalvâ aliorum ſententiâ) ſyrupum ab ipſo nomine ὄπος quod ſuccus eſt, & à verbo σύρω quod traho eſt, nomen aſſumpſiſſe. Syrupi ſunt, qui ex ſucco, manu vel prelo expreſſo, ſaccharo addito, componuntur, quibus aliqui addunt radi-

radices, & herbas: alij folia, floresq; nonnulli.

Cum plantæ multæ non semper præ manibus sint, sed earum vel folia aruerint, vel radices tempore hyemis in terrâ lateanr, vel etiam earum vis post flores & folia amissa perierit, & tamen urgente necessitate expetantur: adeo ex illis aut succi extrahuntur, aut decocta parantnr, mellis aut sacchari aut utriusque simul quantitate sufficiente condita, ut possint in tempus longissimum viribus integris manentibus asservari, præcedente multa decoctione, ut syrupi consistentiam acquirant. Hæc ratio est, quare syrupi compositi, atque inventi sint, attest. Renod. lib. 3. cap. 2. suæ pharmaceutices,

Quod syrupi ab Arabibus inventi sint docet Avicenna lib. v. fen. I, tract. VI, appellantur *scarab*, vel *scrab*,

CAP. II

De syrupis simplicibus in specie.

Satis abunde in genere de simplicibus & cõpositis egi, Iã de specie aliquid inchoo,

inchoo. Sunt ergo ſimplices, Syrupus Acetoſi, Oxiiſaccharum, Acetoſitatis citri, Limonum, Omphacii, Granatorum, & è ſucco Oxalidis, quæ acetoſa eſt, Oxyachantæ, ſeu Berberes, Rybes, Arantiorum, & Cydoniorum. Qui omnes uno modo ſunt componendi, ut infra patebit excepto ſyrupo acet. ſimp. qui hoc modo præparatur.

℞. Sacchari albi, lib. II.
Aquæ fontis lib. I.

Coquantur ſimul in vaſe benè vitreato, non æneo, (nam ob acrimoniam quandam contraheret ęruginem) ad dimidias ſemper deſpumando, carbonibus accenſis, aut flamma exigua, & ſine fumo. Poſtea adde aceti vini clari lib. I. Si valentius lib. III. deinde percoque in ſyrupum. Meſues hunc in ſexta diſtinctione habet: differt ab illo, quem Galenus lib. 4. de ſan. tuenda deſcripſit, melle ſolo, nam tempore Galeni ſaccharum rarum carumque erat, ut idem author docet lib. de med. ſimp. facultate.

Error Pharmacopæorum, qui loco aceti fortis utuntur diſtillato, clarificationis cauſa, quod viſcera, & inteſtina corrodit propter acrimoniam. Sa-

tis

s clarus evadet ſyrupus, modo accipiatur ſaccharum bene rafinatum & acetum limpidum, teſte experientia. Sic ab illis committitur error, qui ſaccharum cum aceto ſolo, & abſq; aqua coquunt, præcipuè cum aqua temperet aceti acrimoniam.

CAP. III,

OXyſaccharum ſimplex a Nicolao Mirepſio conſcriptum ſect xxxvii, cap. xii, lib. ant.

℞. *ſacchari optimi lib. ß.*
Succi mali punici depurati : id eſt granat: ℥ iv.
Aceti vini albi ℥ ij.
Coquantur in olla bene vitreata in ſyrupum.
basi ſumitur nomen, nempe ſucco granatorum, Cæteri Syrupi methodo sequenti componendi ſunt.
℞. *Succi cujusque depurati ſolo, & colo laneo expreſſi, ſed ſponte ſua transmiſſi lib. iij. Sacchari optimi lib.* v. *Coque in Syrupum.*

CAP. IV.

Compositio è Rosis siccis,

℞. *Rof. rubr. sicc. lib.* I.

Infunde horis XXIV. in aquæ lib. IV. supra cineres calidos. Sequenti die coque, ad tertiæ partis consumptionem: deinde expressum clarificatum, cum sacchari albi lib, ij. coque in syrupum.

Non omittenda est illa descriptio, quæ de rosis laxativis â Mesue describitur: nam illa docet ex utroq; genere rosarum rubrarum & pallidarum infusum facere.

CAP. V,

℞ *Foliorum rosæ floris rec. lib.* vj.

Pone in vase vitreato angusti orificij, affunde aquæ calidæ lib. xv. obtura per octo horas, postea cola, ac deinde aliqualem rosarum copiam impone, cui priorem infusionem calefactam affundes: Obtura similiter, & denuo cola. Hac duplici infusione Mesues contentus fuit, quam Mucham rosarium appellavit: conservatur oleo affuso per

per integrum annum. Noſtri Pharma-
copæi continuant ad infuſiones no-
vem, & cum ſacchari lib. 1. ß, & infuſi-
onis lib. 1. in ſyrupum concoquunt, &
eſt ſyrupus optimus. Illud idem ſen-
tiendum eſt de Melle Ros. cui addas
loco mellis eandem ſacchari portio-
nem.

CAP. VI.

Syrupus violatus.

Sunt qui novem habent infuſiones,
ſed fruſtra. Efficacior is, qui ex dua-
bus conſtat, teſte Bauderonio.

℞. Fl. *Violarum ab ung: purg: piſt:* ℥ *iv.*
ſuper affunde aquam tepidam, & ma-
cerentur parum, exprimantur tandem
fortiter, & adde infuſioni Sacchari
jam ad juſtam conſiſtentiam aquâ purâ
cocti lib. 1. ß, qui ſervetur uſui. Hic
modus eſt optimus, nam violas coque-
re malum eſt, ob florum imbecillita-
tem, quorum facultas facile reſolu-
bilis, atque volatilis, quia ſita in ſu-
perficie, eſt.

Illos puniendos dico, qui temere Sy-
rupum hunc more ſceleſtorum adul-

terant, radice Iridis florentiæ, quæ violæ odorem fragrantissimum ementitur: ut ex paucioribus infusionibus paratus multiplices redoleat. Hic Syr non refrigerat, aut humectat satis sed contrarias plane sortitur facultates

CAP. VII.

Syr. de pomis simplex.

℞. *Succi Pomorum dulc: & acidorum lib.* 1, ß. Coquantur ad medietatem deinde biduo residere permittito donec clarescat, tunc cum Sacchari lib. 1 ß coletur, & fiat Syrupus secundum artem.

Poma seliguntur non modo fragrantia, sed etiam jucundissimi saporis, quæ ob suavitatem cor recreant, quæ sunt subacida, quæ propter acidulum, & gratum saporem non modo jucundi sumuntur, sed partes ad cordis œconomiam attinentes exhilarant, putredinem arcent, & melancholicos humores temperant.

Quidam huic succo nondum per residentiam purgato immergunt sericum crudum, Cocco bapico recenti tinctum

tum, donec rubescat, & Cocci & seri-
i facultatem receperit, ut præstantior
t; & alij succum Citri commiscent,
uxta Mes. sententiam.

CAP. VIII.

Syrupus Buglossi:

℞. Succi ejus herbæ clarificati, &
adhuc calidi lib.ij.
Si vis infunde florum ejus M ij.
Sacchari albi, cum albumine ovi
conquassati lib. 1. coque in Syru-
pum.

Si quis Syrupum de pomis habeat,
arere potest Syrupo Buglossato, at-
ue Boraginis.

Sequentium Syruporum methodus
st eadem; nam ex succis depuratis
um Saccharo coctis conficiuntur, ut
unt

Syr. Intibi Sativi,
E succo Acetosæ,
Absinthij,
Lupulorum,
Nymphеæ,
Betonicæ,
Portulacæ.

Syr. Papaverinus excipitur, fit ille ex capitibus in aqua per horas aliquot maceratis.

Debent Herbæ illæ omnes colligi tempore Veris, menſe Maij vel circiter, antequam humiditas in viſcoſitatem mutata ſit, alioquin deberet addi aliquid aquæ, nam tunc ſuccus difficilius exprimeretur. Auct. Baudero-nio.

CAP. IX.

De Syrupis Glycyrrizæ & Hyſopi.

Totam Syruporum ſeriem hic tranſcribere mihi inconſultum videtur, præcipuè cum Cordus, & Weckerus ſatis latè eos divulgaverint: ſed quoſdam magriſtrales adducam, qui illorum vices examinando ſupplere poſſunt. Cum dicantur hi compoſiti latè tractavi Cap. generali de Syrupis,

℞. Glycyrrizæ raſæ & contuſæ ℥ j
Adianthi albi, ſeu Cap. vener. ℥ ß
Hyſſopi ſicci ℥ ij

Macerentur ſimul horis xxiv. in aquæ pluvialis vel fontanæ lib. ij. coque ad dimidias.

Expreſ-

xpressum clarificatum cum mellis o-
timi, & despumati, sacchari albi, Peni-
earum ana. ℥ iiij.
Aquæ Rosaceæ ℥ iij, coquatur in Syru-
um.
Nomen huic syrupo datum est ob Gly-
yrhizam, quæ debet addi sub fine de-
octionis, deinde colo transmitti. Sac-
harum, Mel, & Panidiæ cum deco-
tione simul ebullire, & postea ovi albu-
nine clarificari, & denuo ttaijci, & ad
ustam spissitudinem debet coqui. Le-
ete ab igne deposito adde aquam Ro-
aceam, & repone.
Si quis hunc syrupum habeat, carere
otest de Tussilagine, de Capillis vene-
s, & similibus.

CAP. X.

Syrupus de Hysopo.

℞. Hysopi mediocriter siccæ,
Rad: Apij,
Foeniculi,
Glycyrrizæ ana. ʒ. v.
Adianthi albi, vel Politrichon ʒ iij.
Hordei mundi ʒ ij.
Sem: Malvæ,
Cytoneorum.
Tragacanthi ana. ʒ j ß

Zyzipharum, id eſt Iujubarum, Mixarum ideſt ſebeſten ana n.xv. Paſſularum ab acinis mundatarum ʒ vi.

Ficuum pinguium.

Dactill: ana n.v.

Coquantur ex ſ.q. aquæ puræ exacte, & in jure percolato, coque ſacchari Penediati albi lib.i. & fiat Syrupus.

Aquæ mentio nulla fit, verum hæc facilè poteſt addi, ut in ſequentibus ſyrupis monſtrabitur.

Hordeum primò per quadrantem horæ, vel ad crepaturam coquatur: deinde Radices inciſæ coquantur, poſtea fructus omnes, mox ſemina Cytoneorum, Malvarum, Gummi Tragacanthum, lenteo raro incluſa. Poſtremo Hyſſopus ſicca mediocriter, & Capillus Veneris verus, ſub fine decoctionis Glycyrriza, quæ ab igne depoſita colantur. Colatura ſaccharo mixta clarificetur albumine ovi & coletur denuo pro ſyrupo.

Rationes, quare eo ordine, explicabo poſtmodum. Interea aggredior ſyrupum de Abſinthio.

Syru-

CAP. XI.

Syrupus de Absinthio.D.M.

℞.Herb: Absinthij Roman.lib. ß
Rosar.Rub.℥ ij
Nardi Indicæ ʒ iij
Vini albi optimi antiqui,
Succi Cytoneorum ana lib. ij.

Macerentur simul per XXIIII. horas in vase vitreo supra cineres calidos, deinde coquantur ad medias, Colatum clarificatum cum sacchari albi, vide Mellis despumati,ut sit jucundius, lib. ij. Coquantur in Syrupum.

Syrupos alios ut de Mentha majore, de Myrthis. D. Fern. de Symphito omittendos sentio, quorum descriptiones apud Cordum patent.

Vos interea hanc nostram sequamini componendi methodum

CAP. XII.

De Syrupo Bysantino simplici & composito.

℞. Succi Intibi id est Endiviæ domesticæ.
Apij ana lib. ij.
Lupuli,
Buglossæ.
Boraginis ana, lib. j.

Succi simul ferveſiant, & paululo Mellis albi clarificentur, & purgentur, cujus colaturæ adde lib. ij. ß Sacchari, ſi ſyrupum ſimplicem optes: ſi vero compoſitum compoſiturus es, adde ſuccis depuratis ſequentia.

CAP. XIII.

℞. Roſar. Rub. ℥ ij
Glycyrrhizæ raſæ ℥ ß
Sem: Aniſi.
Foeniculi
Apij ana ʒ iij
Spicæ Nardi ʒ ij

Expreſſis, clarificatis, & aromatizatis Nardo Indica, inijce ſacchari albi pondus præſcriptum, nempe lib. ij ß, coque in Syrupum. Sub finem, ſi addideris Aceti vini albi lib. ij. rurſus in ſyrupi craſſitudinem coquantur, hic ſupplebit vicem ſyrupi acetoſi-compoſiti, ut eo carere poſſis.

Nominatur *Denarius*, vel *Byzanthinus*. Denarius apud Arabes, diureticus id eſt ureter purgans, & non a pecunea ut nonnulli autumant. Dicitur a Byzanthio, ſive Conſtantinopoli, quia ibi valde

de in uſu erat, vel quod prius inventus ibi, vel quod Meſues hunc ſyrupum domo â quodam Conſtantinopolitano acceperit.

Modus componendi patet in præſcriptis, & ſtudio ſyrupum Intybinum compoſitum omitto. Incipio â *Syrupo Cichorij compoſito* D.N. Florent.

CAP. XIV,

℞ Hordei integri â ſordibus purgat. ℥ iiij.
Rad: Apij
Fœniculi,
Aſperragi ana ℥ ij
Herb. intybi, lati folij, ſeu Endiviæ ſativæ,
Intybi anguſti folij, ſeu Scariolæ
Cichorij erratici, flores purpureos gerentis.
Taraxiconis, ſeu Dentis Leonis ana M. ij
Cicerbitæ, id eſt Sonchi Lenis, ſeu lactucæ Leporis,
Lactucæ ſativæ
Lactucæ ſylveſtris vulgò Endiviæ
Lichenis, ſeu Hipaticæ,
Fumariæ,

Lupul. ana. M.j.
Adianthi albi, ſeu Capilli veneris,
Aſplenij, ſeu ſcolopendrij, vulgo Ceterach,
Glycyrrizæ parum contuſæ,
Bacchar. Hileacacabi, id eſt fructus Alkakengi.
Summ: Cuſcutæ ana. ʒ. vi.

Coquantur ut artis eſt in lib. xij. aquæ, aut q. ſ. ad tertiæ partis conſumptionem. Colo clarificato diſſolve Sacchari albi lib. vi. quas coque in Syrupum. Addunt nonnulli libris ſingulis hujus Syrupi

Rhabarb: elect, ℥. ß
Nardi Indicæ ℈ iiij.

At duo ſufficiunt ad illius facultatem intendendam, levis, & potens cum ſit. Nonnulli contra mentem Auctoris duplicant Rhabarbarum, alij quadruplicant, quod improbo: & utendi tempore addendum judico, ſi neceſſitas cogat, & Medicus imperet: nam hic Syrupus ad aperiendum meatus recluſos & roborandum viſcera eſt accommodatus, non ita ad purgandum. At hæc vis Rhabarbari purgatrix co-

ctione,

ctione, & diutina aſſervatione, abit in auras.

Ad cuius præparationem Hordeum primo coquatur per quadrantem horæ, tum Radices prius à matrice expurgatæ, & lotæ diu coquendæ ſunt. Deinde herbæ; poſtea ſemina, & Ceterach: ſub fine decoctionis adde Glycyrrhizam; quæ unam alteramve ebullitionem ſolummodo permittit: decocto expreſſo, adde ſaccharum, clarificatum albumine ovi, & coque in Syrupum.

De Rhabarbaro inquit Meſues, quod non debeat coqui, quia levis, & volatilis eſt: cujus facultas in fumum facile diſſipatur. In petia itaque ligandum, Syrupo tepido ſubmergendum, ad uſum ſervandum, ſic caliditas pertranſit Rhabarbarum, cuius denique Syrupus attrahit facultatem, penetratione quotidiana.

CAP. XV.

Syrupus de Eupatorio D.M.

℞ Eupatorij Mes.vel Græcorum, seu
Agrimoniæ nostratis,
Rad: Intybi, seu
Endiviæ Sativæ.
Foeniculi
Apij ana ℥ ij.

Glycirrhizæ recentis, & contusæ,
Schenanthi, seu junci odorati, non flores.
Summ: Cuscutæ.
Absinthij vulgaris
Rosar: Rub: an. ʒ vi.
Capill: veneris, seu Politrici,
Bedegeris id est Spinæ albæ, vel sume Card: benedict: vel Cameleon Album Diosc.
Suchabæ id est Spinæ Arabic. vel ejus penuria, spongiam Cynorhodi.
Florum, aut Rad. Buglossæ,
Semin: Foeniculi,

Anisi,

Anisi, ana ʒ v
Rhabarb: optimi,
Mastichis, ana ʒ iij
Spicæ Nardi,
Azari,
Fol: Indici ana ʒ ij.

Coquantur ex aquæ puræ lib. viij. ad tertiæ partis consumptionem:
Sacchari albi, lib: iiij
Succorum Apij,
Endiviæ depuratorum ana lib: ij
Percoque in Syrupum.

Syrupum Eupatorij examinare incipiam, quem hoc loco ratione præparationis magis, quam usus statui. Vt Tyrones omnium Syruporum compositiones ritè addiscant, quia comprehendit sub se herbas, multam, mediocrem, & magnam coctionem sustinentes.

Primo igitur, quæ majorem decoctionem sustinent, inijciantur, deinde quæ minorem, denique quæ minimam. Quare injicito, ut sequitur. Primò

Rad. Apij,
Endiviæ,
Bedeguer, &
Suchaha imponantur.
Secundò Sem. Anisi,
Fœniculi.
Tertiò Squinantum.
Quartò Absinthium, &
Eupatorium
Quintò Mastiche
Sextó Azarum, & spica
Septimò Cuscuta,
Cum flo: Buglossæ
Octavò Capillus veneris.
Tandem Rhavid: quod Rhabarbarum est.

Nota. Ne ebulliat, sed infundatur, ut â nobis edoctum est.

Si quis vestrum petat, cur hic Syrupus, qui minimam Eupatorij portionem in se habeat Eupatorius nuncupetur?

Pro solutione intelligat, quod omnia alia simplicia alios ingrediuntur Syrupos, & quod hæc Eupatorij quantitas in hoc solo præscripta sit.

Brassa-

Brassavolus pro Eupatorio, Agrimoniam præter Dioscoridis rationem statuit, lib: de Syrupo Eupatorij.

CAP. XVII.

Syrupus de Epythimo.

Hujus præparandi si quis modum benè noverit, facile omnes sequentes Syrupos componet.

Hic itaque apud Doctorem Mesuem præscribitur juxta methodum sequentem:

℞ Epythimi boni hortensis, ℥xx.
Myrabulanorum Cytrinorum,
Indorum ana ℥xv.
Cuscutæ,
Fumi terræ, ana ℥x.
Calamenthæ,
Thijmi,
Buglossæ,
Myrab: Emblici,
Bellerici,
Lyquiritiæ,
Polipodij.
Agarici,
Stechados, ana ℥vj.

Ros.

Roſ: Rubrar:
Sem. Foeniculi
Aniſi, ana ʒij ß.
Prunorum. n. xx.
Paſſularum enucleatarũ, ℥ iiij
Tamarindorum, ℥ij ß.
Sacchari albi lib. iiij
Rob, quod Sapa eſt, lib. ij
Fiat Syrupus.

Magna eſt in hoc Syrupo ambiguitas, de ebullitione ſimplicium, & in qua quantitate aquæ debeant ebulliri.

Sunt, qui dicunt, omnia in Robub coquenda, ſecundum Meſuem, qui falluntur, nec non multi, qni omnia ſimplicia in tantam aquæ quantitatem infundunt, quantam ſatis putant, vel ut aqua ſimplicibus ſupereminеat per diem unum, poſtea vero coquunt, & exprimunt, quod Meſuei opinionem oppugnat, qui non dicit, omnia ſimul infundi debere, ſed jubet infundere, primo, quæ majorem, ſecundo, quæ minorem, tertio, quæ fere nullam decoctionem patiuntur, ut monſtratum eſt in ſyrup. præcedentibus.

Quantum ad aquæ quantitatem, ſumamus

mamus lib: x. quarum decoctio fiat ad quantitatem lib: trium, quæ debent ingredi hoc modo: Habeant macerationem, Primò Polipodium, & Agaricus, deinde Pruna, & Passulæ, Sem: Foeniculi, & Anisi parum concussi: hinc sumus Terræ tusus parum, ut virtus facilius infusione extrahatur, Buglossa, Rosa, Cuscuta, cum Epythimo, tunc Myrabulani sine nucleis, postea Lyquiritia, Tamarindi, Saccharum, & Rob; coquantur in una parte decoctionis: cui (postquam omnia benè colata sunt, atq; ovi albumine clarificata) adde paulatim residuum decoctionis, & lento igne coquantur simul in Syrupum.

Tamarindi parum coquendi: ad summum per unam alteramve ebullitionem, in vase ex argilla confecto, & non ex æreo, propter acrimoniam.

Appellatur una ebullitio, cum ebullire incipit, quousq; simplicia omnia simul sursum, & deorsum semel revolvantur.

Dicunt aliqui, lib: xv aquæ esse sumendas, quod mihi jure meritò admirationem adfert, quandoquidem nullus est, modò limen hujus artis salutaverit,

verit, qui ignoret in hac compositione esse pauca, quæ multum aquæ imbibere possunt. Ideo multa aqua indiget minimè. imo si experiaris octo aquæ libras esse satis deprehendetis.

Notate diligenter, quod si longam facere ebullitionem vultis, herbis infusis, toto coelo erretis: nam vires bona maceratione ab aqua attrahuntur, modo sit tepida, quæ aliter longâ coctione dilabuntur. Ergo à maceratione supra cineres calidos spatio xxiiij horarum exprimuntur omnia simul, quam fortissimè. Expressum cum Sapa, & Saccharo, paulatim coquatur in Syrupum.

SECTIO. IIII.

CAP. I.

De Eclegmatis seu Loch in genere.

QUod Græci ἐκλέγματα & ἐλέγματα Arabes Loch vel Lodoch nominant, id à Latinis Linctus, vel Lambitivum appellatur.

Nomen

Nomen â lambendo ſumitur. Medicina eſt liquida, majorem Syrupo, minorem conditis conſiſtentiam habens. Inſpiſſata valdè, & viſcida, attamen aptiſſima ad lambendum, & deglutiendum.

Horum ſunt duæ ſpecies, quarum prima delectabilis, ſecunda vero guſtui ingrata eſt, illa conficitur ex ſpeciebus amaris, hæc verò ex dulcibus, ſemper fere cùm melle componuntur: nam mel magis abſtergit & aperit, adhæret & calefacit, quam ſaccharum.

CAP. II.

De Eclegmatis in ſpecie.

Eclegma de Caulibus.

℞ Succi Caulium depurati lib. j.
Sacchari albi
Mellis deſpumati ana lib. ß

Coquantur ad juſtam conſiſtentiam, deinde adde Croci tenuiſſimi triti ʒ iij. Fiat Eclegma. Auctor hujus Eclegmatis eſt D. Gordonius, ut patet, libr: iiij, Praxeos

Praxis ſuæ, Cap: viij de Aſthmatis curatione. A Baſe, nempe, Caule nomen ſortitur: Hoc modo recte conficitur.

Succus è Caule primò exprimendus eſt, expreſſus Sole vel igne depuratur, cum parva mellis portione, cumq; depuratus fuerit, adde Saccharum benè depuratum vel albiſſimum, & coque ſimul lento igne in formam debitam, depoſito lebete ab igne, addatur Crocus optime pulveriſatus, ut reſervetur.

CAP. III.

Eclegma de Scilla ſimplici. D. M,

℞ Succi Scyllæ
Mellis deſpumati ana partes æquales.

Coquantur ſimul in Eclegmatis craſſitudinem,

Æſculapius, ut Galenus refert, Cap. vij de Medicamentis, Secundum locos, hujus Lohoch compoſitionis auctor eſt, quam Doctor Meſues exſcripſit, & in diſtinctione proponit. Baſis patet ex nomine, Modus conficiendi enucleabitur. Sumantur veræ Scyllæ (vel eius loco Pancratium) Iulio menſe

mense collectæ, quum folia illius, & caules exactè exaruerint, cortice adempto, fermento mundo, & massa farinacea circumlinitur: postea in calido cinere, aut furno usq; dum farinacea massa in crustam indurescat, relinquito: deinde extrahito, & â massa farinacea purgato, internas partes teneriores acceptas, eburno cultello, non chalybeato secato, pistillo è ligno Guaiaco constructo terito, itaq; succum exprimito, saccharoq; addito, coquito pro Eclegmate.

CAP. IIII.

Eclegma de Pulmone Vulpis.

℞. Pulmonis vulpis siccati.
Succi Glyzerisæ,
Adianthi albi, id est Capillus veneris.
Sem. Foeniculi
Anisi ana partes æquales
Confice cum saccharo in aqua Pimpinellæ soluto & cocto, vel cum succo myrthino, ut valentius roboret.
Mesues hanc descripsit compositionem, non in Antidotario, sed in sua Praxi,

Praxi,Cap: de Phthisi,eamque desumpsit ab Avicenna, ut videre est, tertio lib: fen: x. Tractatu, v. Cap, vj. Addidi solum modo sem. Anisi & Rob ex Myrtillis. Nec Avicenna, nec Mesues mentionem fecerunt aquæ Pimpinellæ, sed ille Gallorum ferè primus Iacobus Sylvius. De Medicamentorum præparatione non multa, nam facilis est. Sed quomodo pulmo vulpis præparetur docebitur.

PRÆPARATIO.

Sanie & sordibus abjectis, vino odorifero tamdiu eluatur Pulmo, donec vinum non amplius inquinetur, sed limpidum maneat. Elotus, & quadrifariam scissus supra clybanum aut in hypocausto (non alio in loco) probe exsiccetur. Et si nulla tunc utendi necessitas fuerit, in vitro aliquo stricti orificij siccatus (orificio vasis cera accurateclauso) reponatur. Sic etiam Pulmo, sicut flores, recentissimè servabitur, Absinthio ut â plerisque fit, non involvendus, cum ingratum inde saporem & odorem contrahat. Primo Semina & succus Glycyrrhizæ: secundo Pulmo vulpis in eneo mortario in pulverem subtilissimum

num redigantur. Deinde Capillus Veneris, vel ejus loco Polytrichon, quod eſt Adianthum nigrum viride, in mortario marmoreo piſtillo ligneo ſiſtetur, cui pulveres prædicti admiſceantur, qui Syrupo jam cocto ex ſaccharo, & aqua Pimpinellæ, vel Scabioſæ mixti, Lohoch efficiunt.

CAP. V.

Eclegma ſanum & expertum D. M.

℞. Uvarum paſſarum ab arillis purgatarum;
Ficuum recens ſiccatarum.
Dactylorum pinguium ana ℥ ij.
Iujubarum, Sebeſten ana N. xxx.
Sem, fœnugræci ʒ v. Lini, Aniſi, Fœniculi ana ℥ ß. Nonnulli codices, horum trium, habent ʒ ß & non ℥ ß ſed ſequor codicem antiquum.

Herb: Hyſopi
Cinamomi:
Glycyrrhizæ,
Calaminthes,
Ireos ana ℥ ß
Capill. Veneris M. ß

Coquantur primo in quatuor libris

aquæ ad dimidias, colatum coque cum Penidiorum lib. ij. ad mellis, craſſitudinem, tunc adde ſequentia pulveriſata.

℞. Pineorum recentium depellatorum ℥ v.
Amygdalarũ à cortice mundat.
Glycyrrhizæ mundatæ & pulveriſatæ,
Gummi Tragacanthi,
Arabici, Amili ana ʒ iij.
Rad. Ireos ℥ ij. Fiat Eclegma.

Si quis Eclegma hoc recte compoſuerit, abſque ulla difficultate reliqua parabit.

Ante omnia coquantur Rad. Ireos in partes ſciſſæ in lib. iiij. aquæ: cumque ebullierint adde iis ſemina præſcripta in panno ligata; poſt ebullitionem fructus omnes ut Paſſul. Dactyl. Iujub. Sebeſt. &c. poſtea herb. Hyſſopi. Capill. Ven. Calaminthæ. Tandem Glycyrrhizam cum Cinamomo, quæ largam decoctionem non tolerant, ideoque ſolummodo ferveant. Quod cum factum fuerit deſine evaporare, & adde colaturæ lib. ij. ſacch. Penidiati, quæ denuo coquantur ad ſyrupi conſiſtentiam, tunc ab igne depoſitis, & ad bonam deco-

[D]ecoctionem coctis, adde nucleos Pi-[n]eos, & Amygdalas à pellibus nuda-[t]as, & benè tritas. Imo ipſum Traga-[c]antum, & Arabicum Gummi cribro [t]ranſmiſſum, non liquore aliquo ma-[c]eratum, ut nonnulli volunt. Poſtea [p]ulveres Ireos, Glycirrhizæ & Amyli, [ſ]ed ſeparatim omnia.

SECTIO V. CAP. I.

De ſpeciebus Aromaticis in genere.

PLacet de pulveribus Aromaticis in genere hoc loco incipere. Faxit ille [la]rgitatis, bonitatiſq; fons, atq; ori-[g]o, ut ad ipſius honorem, atq; ma-[i]orem gloriam de iis in ſpecie benè fi-[a]iam.

[Q]ui fiunt ex optimis, ſelectiſſimiſq; [m]edicamentis plus minuſve tritis, pro [m]edicamenti natura, & exigentia rei [p]ulveres dicuntur: quos Arabici in tres [ſ]pecies diſtinctius dèſignant, ut *Alkool*, [q]ui tenuiſſimus eſt: *Suffus*, qui levis eſt [&] craſſiuſculus: *Sief* qui præparatus [a]tq; ſubtiliſſimè tritus eſt. Hic in for-[m]am Trochiſcorum cum aquis ſtillati-[t]ijs foeniculi, Roſ. plant. vel alijs con-[v]enientibus malaxetur, & cuſtodiatur.

D 2 Tres

Tres ſunt ſcopi triturationis, quorum primus, ut alijs medicamentis exactè commiſceantur, ſecundus, ut ipſis nova facultas acquiratur†, ut Gal. 4. de Sanit, de Azaro, & Rhabarbaro demonſtrat. Medicamenta groſſo modo trita ventrem laxant, quæ verò urinam educunt, ſubtiliſſimè pulveriſanda ſunt. Ratio, cur omnia non uno modo in pulverem reduci debeant, eſt, quod illa quæ ventri reſpondent, & inteſtinis, aut quæ ad flatus ſolvendos parantur, non tantam ferre debent trituram, quantam quæ pro hepate, liene, Renibus, veſica, utero & alijs Opilationibus aſſignantur. Quæ pro oculis, debent leviſſimè teri ratione tunicæ adnatæ, & conjunctæ, ut Gal. lib. Secundum locos docet, *ut citius in actu ſint, quod poteſtate eſſe dicuntur*, id eſt, ut celerius vires ſuas exerant.

Terantur autem parum, quæ raram texturam, & virtutem facilè diſſipabilem habent, nam multâ tritura exolvuntur, ut flores penè omnes. Dura medicamenta, craſſa, ſolida, nervoſa, & fractu contumacia, quæq; malignam qualitatem participant, ut Colocynthis, quæ cum leviter trita ſumitur,

† vid. Errata ad finem

ejus

ejus portio craſſior, gyris inteſtinorum inhærens ea exulcerat, atque dyſenteriam movet) multam patiuntur trituram, probante Renodeo lib. 2. pharm. cap. IX. quæ medocri ſubſtantia conſtat, ut aromata multa: moderate terenda ſunt, ne tenuior portio, ac magis odorata exhalet, atque diſſipetur. ſi ad electuarium, vel alicujus confectionem ſumantur, tunc tenuiſſime leviganda. Radices, & herbæ ſiccæ non virides pro electuariis contunduntur, ſed poſſunt in varios uſus, vel ſiccæ, vel coctæ, vel crudæ teri.

Quæ coquenda mediocriter terenda. Major tamen Radicibus quam foliis debetur tritura, fructibus minor, ſeminibus mediocris: medio ſiquidem modo inter herbas & radices ſemina teri debent.

Plura de trituratione habentur apud Meſ. cap. ultimo Theorematis: Apud Sylvium lib. 2. pharmaceutices cap. de tritura. Quantum ad doſin ſacchari, vel mellis poteſt ſeſqui uncia ſpecierum lib. 1. mellis, vel ſacchari addi. Quod ſi dividatur per uncias: habebitis pro unaquaque ſacchari uncia Drachmam unam ſpecierum.

Si de amaris agatur, addantur unciæ ſacchari ſcrupuli duo ſpecierum, & erit conveniens ægris.

CAP. II.

De ſpeciebus aromaticis in ſpecie.

Pulvis Dianthos Nicolai Salernitani.

℞. Florum Roriſmarini ℥ I.
Violariæ,
Roſ. rubrarum,
Glycyrrhizæ, ana ʒ VI.
Cariophill orum,
Nucis muſchatæ,
Spicæ nardi,
Galangæ,
Cinamomi,
Zinziberis,
Sem. Anethi,
Aniſi, ana ℈ iiij.

Sacchari albiſſimi aquâ Betonicæ ſoluti q. ſ. concinnetur Elect. ad tabellas.

Triturationis modus.

Primo piſtetur lignum aloes, aut Santalum Citrinum, ejus ſuccidaneum. quod cum parum fuerit contuſum cribretur leviter. Tunc reſiduo adde ra-

dice

ices Glycyrrhizæ, cum Cariophillis, t Cinamomo. Tandem ſemina, Ma-is, & Nuces Muſcatæ piſtentur, id uod pertranſit cribrum bene cooper-um reſervabitur; Reſiduo adde roſas ccas, Anthos ſiccum, & flores Viola-um. Hæc ſimul ſubtiliſſime pulveri-, quæ cribrata reſerventur uſui, in vi-ro bene cooperto, ut neceſſitate po-ulante formentur in tabellas cum accharo.

Nicolaus Myrepſius eſt auctor hujus eſcriptionis, ut patet lib. 1. Antidotar. ap. 4. Nomen ab Anthos, (quod La-inis flos Roriſmarini eſt) ſumpſit. Quid nthos proprie ſit cap: de conſerva nthos late explicavi.

Lignum aloes ſit crudum & non co-tum ut monet Avic. canone 2. ſui libri, m aliter eſt corpus ſine anima. Plura habet Iatthæus Sylvaticus in prima ſectione uminaris majoris cap. de elect. in quo it: *Quod ſubmergitur eſt optimum: quod na-te privatum eſt vita, optima diagnoſis reſiſtit colore, qui debet eſſe fuſcus, & obſcuri colo-; neque non in odore, dum comburitur, ſi fu-um boni reddat odoris, ſi facit ſpumam in ſa-re, ſique amarum ſit.*

CAP. III.

Diatragachantum.

℞. Penidiarum ℥ j. ß
Gum. Tragachanthi albi ℥ j.
Gummi Arabici ʒ v.
Amyli ʒ ij.
Sem. Papaveris albi ʒ j. ß
Sem. 4. frig: majorum inundatorum.
Glycyrrhizæ rasæ ana. ʒ j.
Camphoræ ℈ ß

Sacchari aquæ rosati, vel violati sol. q. s. Fiat electuarium concinnandum in tesseras.

Primo ordine pulverisanda sunt glycyrrhiza incisa, semen Papaveris: sed separatim Amidon, Camphora, & Penidia, similiter separatim Gummi Tragacanthi, & Arabici: hisce ita pulverisatis, perque cribrum trajectis addi debent semina 4. frigida majora à corticibus mundata, minutissime scissa, quæ dein misceantur ut artis est.

Si quis species has longo tempore sine aliqua corruptione servare desiderat, nec sem: 4. frigida, nec semen Papaveris, speciebus hisce addat, sed tam diu

diu ſeparatim ſervet, dum à medico Pharmacopæo imperatum ſit: ſi enim ſimul miſceantur, trium menſium ſpatio vix dilapſo, rancidus atque ægris ingratus reperitur.

Si quis ſciſcitetur de juſto pondere ſeminum addendorum, hunc modum à me infra ſcriptum ſequatur, eumque facilem, & brevem judicabit.

Tota deſcriptio tenet uncias tres, & ſemis pulverum, & grana v. Semina quatuor, & papaveris ponderant quinque drachmas, & ſemis. Ergo ſi unciæ, ſcrupuli duo, ſeminum boni ponderis addantur, (quod facile fieri poteſt) habebis ſpecies tempore neceſſitatis gravi ſſimas.

Auctor Diatragacanthi eſt Nicolaus Myrepſius, qui addit hordeum, quod nos auctoritate Salernitani prætermiſimus.

CAP. IV.

Dia-Iris ſimplex.

℞. Ireos florentiæ ℥ j.
Pulv. Diatragachanti frig.
Sacchari Criſtallini ana. ℥ ß.
Fiat pulvis.

Primo conterantur radix Ireos, & saccharum candidum separatim: post ea misceantur pulveres speciei Diatragacanti frigidi, qui in olla vitrea bene conserventur.

Dico *conterantur*, hoc differt à *tero*, nam *conterere* est dividere aliquid in partes subtilissimas; *terere* vero, in partes grossas. Si quis ergo scripserit, *terantur* vel *conterantur*, debet in suprascriptis vel infrascriptis modum hunc servare.

Author compositionis incertus est.

Pro Electuario in Tabellas.

Libra sacchari pro unaquaque uncia pulveris sumenda est: aliquando tamen unciæ duæ sacchari pro singulis pulverum drachmis præscribuntur; sicque gratius, sed inefficacius fit. Fernelius octo solummodo uncias ponit, pro omni compositione. Alii verò duas libras, sed ego pro pulveris drachma, sacchari tantum unciam acciperem ad conficiendum electuarium.

CAP.

CAP. V.

Diamargaritum Frambosarij.

℞. Margaritarum ſplend.
ʒ iij,
Trium ſantalorum { Rubrorum, Citrinorum, Alborum,
Roſ. rubrarum,
Florum Violarum,
Bugloſſi,
Nympheæ,
Bacch. Myrthæ, ana ʒ ij.
Rad. Angelicæ,
Spicæ Nardi,
Cort. Citri mali,
Cinamomi,
Caryophyllorum,
Croci, ana ʒ j
Lap: Saphyri,
Hyacinthi,
Smaragdi,
Sardæ,
Granatorum,
Coralli albi, & rubri,
Succini præp:
Scobis Eboris, vel ſpodij,
Sem. 4. frigid. majorum mund:
Endiviæ,
Oxalidis, ana ʒ ß

Serici crudi
Fol. Auri ana ℈ j
Ambræ ℈ ß
Camphoræ gr. v.
Moſchi gr: ij.
Fiat omnium pulvis.

Hanc formulam compoſitionis, quæ tam variæ eſt deſcriptionis, ut vix quicquam conſtet de ejus auctore, placuit hoc loco præ oculis ponere, quà præcipue neceſſaria breviter recenſeam.

Plura ſimul recipit, quorum ſpecies invenire difficile foret, ideo jure meritoq; dicere auſus ſum, ſi quis ſtatuto tempore, ac loco hæc colligat, dein rite præparet atq; miſceat (nam in hiſce totus cardo rei verſatur in arte Pharmaceutica) quod illi & titulus Magiſtralis, & diploma promotionis exhiberi poſſint.

Modus præparationis.

Forcipibus Sericum crudum ſcindatur, ut Serapius docet lib: Simpl: Cap; 29. Non uratur ex ſententia Avicennæ: nam urendo vis cardiaca reprimitur, & acquiritur aſtrictoria. Teratur ante omnia ſequentia aliquamdiu, cui deinde adde Santala, Nardum forcipibus ſciſſam.

ſciſſam: Dein Rad: Angelicæ, Cortices Citri.

Cinamomum denique, cum Gariophyllis: mox ſemen Oxalidis, & Endiviæ: quæ poſt contuſionem per cribrum trajiciantur, pulvis tranſmiſſus reſervetur in vaſe vitreo, vel Papyro bene clauſa, ne virtus exhaletur, donec omnes lapides per ſe contriti, atque præparati ſint. Hoc facto ſem: quatuor â cortice mundata, & in minutiſſimas partes cultro conſciſſa, imponantur mortario, & parum piſtentur, additis per intervalla pulveribus lapidum pretioſorum, & ſpecierum, atque Foliis Auri, ad formam pulveris.

Quod in Capite de pulvere Diatragachanti de mixtione Seminum frigidorum dixi, idem de Camphòra, Moſcho, & Ambra faciendum judico, id eſt, ne, antequam â Medico præſcribantur, cum prædictis pulveribus miſceantur.

Diamargaritum aliud eſt frigidum, aliud calidum, quod raro â Pharmacopæis præparatur.

Dividitur etiam in ſimplex, & compoſitum.

Simplex eſt, quod ex ſolis Margaritis fit, diciturque manus Chriſti, aut

Saccharum Parlatum.

Hoc noſtrum de quo egimus, compoſitum vocatur.

Nomen ab ipſis, (quæ Baſis eſt) Margaritis procedit. Margaritæ eligendæ ſunt Orientales, & pellucidæ. Probantur candore, levitate, ſeu pondere, rotunditate, & magnitudine.

Quæ ponderoſæ, ac craſſæ, magiſque compoſitæ, ſeu concluſæ ſunt, præſtant quidem, ſed propter raritatem, & valorem medicas compoſitiones vix ingrediuntur, ob multorum Pharmacopæorum avaritiam, qui majorem rationem lucri ſui habent, quam conſcientiæ.

Earum Præparatio.

Purgatæ à ſordibus & pelliculis adhærentibus lavantur aqua roſarũ, deinde ſiccatæ terũtur in mortario lapideo, piſtillo ligneo, poſtea exacte pulveriſatæ deponantur ſupra lapidem planum ac marmoreum ſeu porphyrium, cui piſtilli loco apponitur parva mola marmorea, quæ manu mota omnes terendo medicamentis facile aptas facit. Hoc modo cæteri lapides precioſi, Coralla, Succinum, Borax & alij debent

levigari,

levigari, donec nulla digitis inæqualitas percipiatut.

Cum Spodium variè apud authores usurpetur, videndum est, quidnam Nicolaus de eo judicaverit. *Non est*, inquit ille, *Spodium Græcorum, neque Arabum (quod aliqui spodium cannarum vocant) quod accipiendum est, dum neutrum ad ea medicamenta, quæ per os ingeruntur, usurpetur: ideo accipiendum est in hisce specierum compositionibus ebur ustum, facultate astringendi pollens, secundum Platneariorum sententiam.* Ejus conficiendi præparandique modus hic à me ponitur.

Præparatio spodii.

℞. Eboris in partes secti lib.j. conjiciatur in novum, & non crematum fictile, tegatur operculo, & figulino luto oblinatur, ut bene clausa penes se virtutem eboris retineat: deinde imponatur figile furno. Ebur ubi jam crematum fuerit, in tenuissimum pulverem teratur, & cribretur, inque patinam vitream injiciatur, ei affundantur stillaticij rosarum liquoris lib.ij, eæque cum ebore pariter exsiccari permittantur: deinde secundo teratur, & stillaticij Ros. liquoris exsiccato ebori denuo lib, j. affundatur, pariter rursum

ſum exſiccetur, ultimo teratur in tabula marmorea duriſſima, deinde fingantur paſtilli, qui in denſo vaſe, ne exſpirent, reponantur.

Quod ſi ebore deſtitutus fueris, vice ejus ſume cornu cervinum ſimiliter paratum, ut monſtrat Leon. Fuchius lib. ij. de comp. med. fol. 758. cap. de Ebore.

Ebur, ut inquit Platearius, & ejus ſucceſſores, ſunt oſſa Elephantis combuſta, ut dictum eſt.

Notandum quod neq; Arabum ſpodium Cannæ per os ingerendum erit, quamvis Avicenna, varijque Arabes in roborandis corde & Iecore id plurimum commendant, ſed de eo noſter Coryphæus conſulendus lib. ſimpl. cap. 7.

Si quæ deſunt ex medicamentis ſimplicibus, locum implebitis hiſce ſuccedaneis: ſi deſit lignum Aloes ſume Santalum citrinum, ſed ego mallem cortices Citri eligantur, ut docuimus cap. de Anthos. Pro Been albo & rubeo, ſumite radices Bugloſſi, & Boraginis ſecundum ſententiam acutiſſimi Bauderonij.

CAP.

CAP. VI.

Aromaticum Roſ. Gabrielis.

℞. Roſ. rubrarum ℥ xv.
Glycyrrhiſæ raſæ ℥ vij.
Cinamomi opt. ℥ v.
Ligni Aloes
Santali Citrini ana. ℥ iij.
Gummi Tragachanti
Arabici ana ℥ ij, ℈ ij.
Gariophillorum
Macis ana. ℥ ij. ß
Nardi ℥ ij.
Nucis muſchatæ
Galangæ
Cardamomi ana. ℥ j.
Ambræ cineritiæ ℈ ij.
Muſchi Orient. ℈ j.
Fiat pulvis.

Lignum aloes, & ſantala in parvas partes craſſiuſculè conſciſſa primo loco pulveriſentur exquiſitiſſimè, tunc adde hiſce radices Glycyrrhizæ, & ſpicam Nardi forcipibus minutim conciſſam: dein Gariophillos, nuces Muſchatæ, Cardamomum, & folia Macis: tandem Roſas ab unguibus albis purgatas: poſtquam ttiturata, & per cribrum

brum transjecta ſunt, ſerva tamdiu bene cooperta papyro, quamdiu gummi terantur, quæ debent prius pulveriſari in mortario, cum piſtillo calido, & poſtquam parum igne calefacta fuerint, admiſceri. De Moſcho ſatis atque Ambra. Aromaticum autem dicitur ab Aromatum quibus conſtat, fragrantia. Roſatum à roſarum qualitate & quantitate repellentibus. Cognominatur vero à Gabriele, neſcio quo, forſan illius auctore, aut Meſues amico.

CAP. VII.

Exhilarans Nicolai.

℞. Fol. Ocimi
Croci
Zedoariæ
Xylobalſami, vel ſuccidanei,
Gariophillorum,
Cort. Citri mali,
Calangæ,
Maceris,
Nucis muſchatæ.
Styracis calamitæ ana. ℥ ij ß,
Aniſi,
Fol. Roſ.
Eboris præp:

Thymi,

Thymi,
Epithymi, an ℥ j.
Camphoræ,
Moſchi, Ambræ,
Margaritarum,
Oſſis è corde Cervi ana. ℥ ß,
Argenti ℈ ß.

Fiat pulvis.

Præparatio pulveris hujus in tritura præcedentis deſcriptionis conſiſtit: Oſſa è corde Cervi comburentur, ut dictum eſt de Ebore. Levigantur mola verſatili ſupra lapidem porphyreum. Hiſce peractis, pulveres in mortario miſceantur: ſed Camphora, ne adhæreſcat, impedietur vel oleo Amygdalarum, vel aqua roſarum.

Os è corde Cervi medicina eſt inſignis, reperitur in ſiniſtra parte cordis Cervi, ubi quædam cavitas eſt, ad quam ſplen receptaculum habet, & emittit ſuperfluitatem, quæ propriam ſiccitatem cordis imitatur in oſſeâ ſubſtantia. Os illud eſt inſtar cartilaginis, ſubruffum ſanguine cordis tinctum. Diſcernitur à cartilagine, quæ in pectore caprarum reperitur, qua utuntur indocti pharmacopæi: quia non habet carnem, neque ita ſubruffum, ſed album &

mollius

mollius eſt. Limetur prius & pulveriſetur cum ligno aloës, radicibus Zedoariæ, Santalis. Argentum ſcribit auctor, nobis omnibus ſatis notum, ſed limaturã ſumere ſuadet Albucaſis in fine lib. j. legatur Avicenna 5. canone de confectione Hyacinthi, ubi docet liquefieri aurum, & argentum. Nomen lætificantis habet ab effectu, quod cor lætificet, & confortet. Falluntur qui Galeno ejus inventionem tribuunt, cum in ejus operibus nec nominetur, nec ille Muſchum, Camphoram, Ambram, Margaritas noverit: quæ continentur in deſcriptione auctoris incerti. Duæ ſunt hujus pulveris confectiones, una Rhaſis, quæ raro paratur, altera incerti authoris, quam ex Nicolao Præpoſito damus, ut præſtantiorem. Plura habet Manlius in commentariis ſupra Luminarium majus ſect. prima cap. de lætificante.

CAP. VIII.

Diarrhodon Abbatis D. Nicol.

℞. Roſ. Rub. ℥ ß
Sacchari criſtallini ℥ j.
Sant: albi & rubri ana. ʒ ij.

Gummi

Gummi Arabici,
Tracaganthi,
Spodii ana. ℈ ij.
Azari,
Spicæ Nardi,
Mastiches,
Cardamomi,
Croci,
Xylo aloes,
Gariophillorum,
Cinamomi,
Galliæ Moschatæ. sunt
Troch: de quibus cap. de Tro-
chiscis latè scripsi.
Succi Glycirrizæ
Sem. fœniculi, Anisi
Ocimi, id est, Basiliconis,
Oxiacanthæ: id est Barberum,
Sem. frigid. majorum,
Scariolæ, Portulacæ
Papaveris albi ana. ℈ j.
Ossis è corde Cervi,
Margaritarum ℈ ß
Moschi gr. iij.
Camphoræ gr. ij.

Fiat, ut artis est, pulvis.

Modus præparationis satis clarè in allatis capitulis monstratur. Ideo hoc unum hic notandum, quod gummi pul-
verisari

veriſari debent in mortario, piſtillo calido ſeparatim, ut etiam Spodium, & Maſtich: ſed cũ gutta aquæ roſ. vel Boraginis, etiam Trochiſci, Galliæ moſchatæ, Rhabarbarũ, ſaccharum candi, Camphora muſcus, & c. Perlæ ſub lapide porphyrio cum mola parva, ut de ſpodio docuimus, terendæ ſunt. Varia hujus eſt deſcriptio, multoſque caſtigatores habuit. Nicol. Myrepſius hanc formulam lib. de antid. fol. 34 tradidit quam Cronenburgius ſequitur lib. 1. de comp: med. fol. 190. Renodeus lib. iij. ſect. 1. de pulveribus cardiacis cap. viij. Framboſarius fol. 1044. lib. de Comp. med. Bauderonius lib. 1. ſect. iiij. fol. 192. Auctor fuit Abbas alicujus collegij. Semina quatuor frigida ut ſupra notavimus, quia brevi tempore ranceſcunt, aptius utendi tempore commiſcebuntur. Bauderonius & Fuchſius pro Rhapontico utuntur Rhabarbari fecibus, quæ ab infuſione relinquuntur. Rationes ſunt datæ: quia non requiritur vis purgatoria, ſed confortatoria, ideo hoc ſubſtituendun ſentiunt, præcipue cum Rhabarbarum laxativum ſit. Quamvis illi ita ſtatuant, tamen ego pace illorum Ravedſennum caperem non ex-

tractum,

tractũ,quod in tali quantitate,& in tanta medicamentorum ſerie ſeu multitudine vires catharcticas dilatare nequit.

CAP. V.

Dia Trium Santalorum.

℞. Trium ſantalorum ut { Sunt Rubrum / Citrinum / Album.
Roſ. rub.
Fl.violarum ana ℥ iij.
Rhabarb.opt.
Spodij,
Glycirrhizæ ana ℥ ij
Gummi Arabici,
Tracaganthi,
Sem. IV. frigid. maj: nē- { Melonum, / Citrulli, / Cucumeris, / Cucurbitæ,
Portulacæ ana ℈ iiij
Camphoræ ℈ ß. Fiat pulvis.

Santala primo pulveriſentur, tum Roſæ, Sem. Intibi, Portulacæ, Violæ cum Rhabarbaro & Glycyrrhizà: Spodium, Gummi, Camphora ſeparatim, quæ ſimul in mortario poſt bonam triturationem miſceantur, uſuique reponantur. De ſeminibus quat. ſupra ſatis copioſe.

piose. Optime solvitur camphora oleo Amygd. vel aqua rosar; ut antea. Nomen impertitum est à trium sant. genere, ut asserit Salernitauus. Santala advehuntur ex India Orientali, & Occidentali. Camphora omittitur à Rondel. Fuchsio, qui ejus loco flor. Nenupharis statuunt.

CAP. X.

Diaspermatos, sive de seminibus.

℞. Milij Solis
Succ. Glycyrrhizæ ana. ℥ iij.
Sem. 4. frig. majorum & minorum quæ sunt
Lactucæ, Portulacæ, Endiviæ, Scariolæ.
Seminis Asparagi,
Pimpinellæ,
Ocimi,
Petroselini,
Granorum Halikakabi
Cinamomi, Macis ana. ℥ j.
Fiat omnium pulvis.

Pulverisentur simul Cinamomum, Macis Semina, Milij solis; Petros: Ocimi, Pimpinellæ &c. exceptis seminibus majoribus, à corticibus mundatis, & Gly-

& Glycyrrhiza, quæ omnia ſimul mixta reſerventur uſui. Nomen à ſeminibus ſumpſit, Auctor eſt Fernelius.

Modus præparandi ſanguinem Hirci.

Hircus primum quadrimus, aut paulo ſenior, vel junior ſeligendus, & jugulandus eſt; ſanguis medius effluens olla fictili excipiẽdus, nam qui primus fluit, tenuior, qui ultimus, craſſior eſſe ſolet: Tum linteo raro tectus ſoli exponendus, coagulatus teratur, quod ichoroſum eſt, abjiciatur, conſervetur in vaſe vitreo. Poterit Hircus hic longo tempore herbas Pimpinellæ, Saxifragiæ, & Apij comedere, iiſque nutriri. Sunt qui ſanguinem arterioſum colligunt: quod quidem non malum, tamen parum prodeſt: nam ita nutritus habebit facultatem efficacem ſatis ad calculos expellendos. Eadem eſt præparatio de ſanguine leporis.

SECTIO VI.

CAP. I.

De Electuariis in genere.

SAtis abunde de ſpeciebus, vel pulveribus. Iam recto ordine Electuaria

purgantia àbſolvam. Electuaria dicuntur, quia ex multis variiſque medicamentis ſelectiſſimis conficiuntur. Hæc autem multum inter ſeſe differunt: nam quædam dulcia ſunt, ut Diaçaſſia, Lenitivum, Dia-Carthamum: alia amara, ut Hiera Pycra, Hiera Dia-Colocynthidos: alia acetoſa, ut Dia-prunum, Dia-Tamarindum, & quod ex Dactylis aceto maceratis componitur. Sunt hæc vel ſolida, vel liquida; ſolida, Diacarthamum, El. de ſucco roſ: de quibus inpræſentiarum agetur.

CAP. II.

Elect. de Succo Roſ.

℞. Succi Roſ. Rubr. depurati,
Sacchari albiſſimi ana lib. I. ℥ IV.
Diagridii ℥ j ß.
Trium Santalorum ʒ VI.
Spodij ʒ iij.
Camphoræ, ℈ j.
Fiat El: per tabellas, ut artis eſt.

Hæc omnia ſeparatim præter Santala, quæ ſimul contundi poſſunt, terantur. Tunc ſaccharo cum ſucco roſarum ad conſiſtentiam Electuarij lento igne

cocto

cocto, excipiantur, & fiant tabellæ. Suaderem Diacridium sub fine infundi, ne grumescat ratione caloris nimij. Hoc autem sustinet apud Mes: mediocrem coctionem, & trituram. Hoc electuarium est duplex, unum solidum, aliud liquidum à Mesue compositum, quod haberi debet ab ijs qui uti volunt pillulis Aggregativis, & Hermodactylis.

Auctor est Nicolaus Alexandrinus.

Dicam aliquid de Scammonio. Quid est, & quomodo extrahitur videndum apud Lobelium, Dioscoridem, & Dodonæum. Præstantissimum autem illud est, quod ex incisa radice superna exsudat, & maxime quod ex Antiochia refertur: dein Armenium, Europæum, ad nigrum omnium pessimum. Vt vero sit optimũ, debet esse nitidum, splendidum, clarum, Gummi modo subalbum, rarum, fungosum tenuissimis filulis, spongiosum, cito liquescens, tenerum, friabile, non valde ponderosum, nec odoris tetri, licet non suavis, sed proprij, & taurino glutini simillimum. Ab his notis quod longe recedit, pessimum.

Castigatur apud Mesuem lib.2.simpl.

 cap.1.

cap.1. In malo Cydoneo excavato, clibano decoquitur, pasta undique circumlita, præsertim additis quibusdam seminibus, ut Apij, Fœniculi, Dauci. Vsitatior tamen correctio fit ex solo Cydoneo, vel succo rosarum. Iam correctum & bene castigatum Scammonium Diacridium, quasi lacrymula dicitur, & in officina corrupto vocabulo *Diagridium* nuncupatur.

CAP. III.

Diacharthamum Auct. de villa nova.

℞. Sacchari albi ℥ x.
Sacchati Cristallini
Mellis rosati,
Carnis cydoniorum ana ℥ j.
Turpethi gummosi ʒ vj.
Medullæ Sem: Charthami,
Hermodactyllorum,
Diatracaganthi frig. ana ʒ iiij.
Diacridij ʒ iij.
Mannæ,
Zinziberis albi, ana ʒ ij.
Fiat El: per tabellas.

Primo medullæ Charthami scalpello minuantur, eo modo, quo sem. 4 frig.

frig. passim in officinis teruntur, ut docui, nec pistillo quassentur, ne exudet, oliosa intus latens substantia, quæ facile corrigitur Turpetho. Zinziber, Hermodactyli, si per intervalla addantur, eandem efficaciam eos adferre, nobis à priscis clare edoctum est.

Scammonium, correctum per se (quod frequenter præceptum) fricatur: Manna melle Rosaceo dissoluta, per cribum trajicitur; Diatracagantho recenter comparato additur. Misceantur omnia simul, excepto scammonio, quod sub fine addi debet, ut diximus. Saccharo aquâ Foeniculi soluto, & ad justam consistentiam cocto, excipe omnia, & fiant tabellæ. Potest hæc compositio tam in formà solida, quam liquida parari. A semine Charthami nomen accepit, quod Græci Knicum, Arabes Kartam, & multi Crocum Sarasenicum nominant.

Auctor est Arnoldus de villa nova, qui tempore Erasmi Roterodami, Martini Lutheri, & Petri Aponinsis vixit, anno Salvatoris nostri 1520, ut ille testatur tract. 2. Summa 2. distinctione 1. Cap. 17 de Hemitritea.

Nota. Ut vero Turbith ventrem turbare desinat, eum corrige, & infunde lacti recenter mulso; deinde Turbith iterum benè exsiccatum in medicamentum recipe.

SECTIO VII.

De Electuariis liquidis.

CAP. I.

El. Diacatholicum D.N. ex Baud.

℞. Radicum Polipodij quercini,
Fol. Senæ mund. ana ℥ iiij.
Rhaba: electi ℥ iij.
Pulpæ Cassiæ fistulæ,
Tamarindorum ana ℥ ij.
Fl. Violarum, Anethi ana ℥ j.
Sem. foeniculi ʒ vj.
Cinamomi, Glycyrhizæ,
Pinidiorum,
Sacchari candefacti,
Sem. 4. frigid. majorum mundat: ana ʒ ij, cum Sacchari albi lib. ij. Fiat Elect.

Primum Polipodium quernum contusum

tusum cum ſemine Foeniculi coque in lib. iij aquæ ad medietatis conſumptionem, & cola; in duabus partibus colaturæ coque Saccharum ad Syrupi craſſitiem: pulpæ Caſſiæ Tamarindorum humectentur ex alia colaturæ parte, ut citius cribrum tranſeant. Tunc cum Syrupo, facto tepido, miſceantur: hiſce benè mixtis adde cribratos pulveres: & fiat Electuarium.

CAP. II.

Diaprunum Solutivum.

℞. Pruna Damaſcena dulcia ac matura, aqua ſufficienti decoquenda ad pulpæ lib. 1. extrahendam,
Pulpæ Tamarindorum,
Medullæ Caſſiæ fiſtul. ana ℥j.
Violarum ℥ vj.
Pulveriſanda ſequentia ſunt.
Rhabarbari,
Santali albi & rubri,
Spodij præparati ana ʒ iij,
Roſarum rubrarum,
Sem. Portulacæ,
Intibi, Oxyacanthæ,
Succi Glycyrrhizæ,

Gummi Tracaganthi ana ℥ ij.
Sem. 4. maj. frig. mund. ana ℥ j.

Semina per ſe ſecundum noſtrum inſtitutum præparanda, cum Sacchari albi lib. ij. Fiat Electuarium. Vbi impenſe Solutivum reddere volueris, adde Scammonij præparati (quod jam Diacridium eſt) ℥ ß in ſingulas libras.

Ponantur pruna in vaſe ſtanneo, & tantillo aquæ bene cooperta coquantur cum ebullitione coctionis, donec diſſolvantur, tunc ab igne deponantur: Quando jam frigêre incipiunt, ab aqua eximantur, ac per cribrum fricẽtur, donec nihil præter interiores lapides, ut vocant, & cortices in eo remaneant. In aqua autem illa, in qua decocta fuerint pruna, ponantur flores Violarum, qui parum ferveſcant: mox expreſſis violis, applicetur Saccharum, & coquatur in Syrupi conſiſtentiam. Ab igne depoſito diſſolvitur pulpa Prunorum, Caſſię, Tamarindorum. Vbi jam bonam acquiſiverint ſubſtantiam, ſive craſſitiem, adduntur dicti pulveres, poſtea Scammonium, & ſervantur ad uſum.

Duæ ſunt hujus compoſitionis ſpecies,

cies, nempe ſimplex, & compoſita. Simplex illa eſt, quæ Diacrydium non recipit: Compoſita, quæ purgationis cauſa ſcammonium admittit, teſte Bauderonio. Ejus auctor eſt Nicolaus Myrepſius. Nomen datum à prunis, quæ baſis ſunt. Nicolaus Alexandrinus Damaſcenam hanc appellavit.

CAP. III.

Electuarium Diaphœnicum.

Deſcriptio ejus ex lib. iij. Meſues de Antidotis.

℞. Dactylorum Fulvorum, aceto per triduum maceratorum ʒ. C. vel ℥ xij ß.
Pinidiorum hordeatorum. ʒ. L.
Amygdalarum. ʒ. xxx.
Turbith: ʒ. xxxv.
Scammonij, ʒ. xij.
Gingiberis,
Piperis longi,
Foliorum Rutæ ſiccorum,
Cinamomi,
Macis,
Ligni Aloës,
Sem. Aniſi,

Foeniculi,
Dauci Cretici,
Galangæ, ana ʒ ij ß.

Tere omnia probè. Melle deſpumato ſufficienti excipe.

Præparatio.

Per triduum macerentnr Dactyli ab oſſibus, & lanugine illa intrinſeca mundati, qui quo ſicciores ſunt, eo diutius macerandi. Poſtquam bene humectati fuerint, ſuperflua Aceti quantitas exprimatur, donec omnino emolleſcant: tunc per incerniculum cochleari ligneo colentur, ac manu ſubigantur: quibus Pinidias ex optimo Saccharo elaboratas, & hordeacea aquâ humectatas, & parum liquefactas admiſce. Deinde Amygdalas excorticatas, ſcalpro ſutorio, minutiſſimè conciſas: poſtremò ſpecies: ſed Scammonium per ſe tritum ſit: Quæ omnia melle deſpumato excipiantur.

Cronenburgius lib. duas mellis: Framboſarius lib. unam, ʒ xij: at Cordus triplum mellis, hoc eſt, lib. 1. ℥ iij. ʒ vj. ſtatuenda putant. Eſt profecto hæc diſcrepantia aliquo modo exorbitans, attamen non ita, quin Bouderonij docu-

documentis facilè concilietur, qui ad libras singulas pulpæ Dactylorum, Pinidiarum, Amygdalarum, & mellis despumati, ℥ iij pulveris admiscet.

Diaphœnicum à palmulis, quas hodie vocant officinæ Dactylos, nominatur. Nam φοῖνιξ testante Dioscoride, lib. primo. cap: 125 à Græcis palmula dicitur, vel ejus fructus. A Iuberto improprie Diaturbith nominatur, tamen ratione differentiæ nos Diaphœnicum nominabimus.

Basis purgativa est Turbith potissimum, deinde Scammonium, seu Diagridium. Datur ab aureis tribus ad septem. Ita Mesues, ex quo cœteri desumserunt, huius compositionis Auctor.

CAP. IV.

Confectio Hamech.

℞. Myrabulanorum Citrinorum ℥ IV.
Chebularum,
Nigrarum seu Indarum,
Rhabarbari boni,
Epithymi ana ℥ ij.
Agarici,
Colocyntidis in panno ligati,

Polipodij querni recentis ana ℥ xviij.
Absinthij,
Thymi,
Senæ ana ℥ vj.
Violarum recentium ℥ j ß.
Aut (si desint) Sacch. Violati duplum.
Sem. Anisi,
Foeniculi,
Rosi. Rubr. ana ℥ vj.
Pruna n. sexaginta.
Passul. enucleatarum, ℥ vj.
Succi Fumariæ lib. 1.

Omnia infunde in s. q. seri lactis, in vase vitreato angusti oris bene obturato, per quinque dies: sic tamen ut primo die infusioni credantur, quæ diuturniorem coctionem sustinent. Vt Polipodium: secundo Myrabolani, Pruna, Passulæ, & Colocynthis: tertio Absinthium, Agaricus, Sena, Thymus, Anisum & Fœniculum: quarto Rhabarbarum: quinto denique flores Rosarum, Violarnm, Epithymum. Eo ordine præmacerata simul coqui possunt. Vnica ebullitione tantum facta, colantur, in cujus colatura dissolvantur

Pulpæ Cassiæ ℥ iiij.

Tama-

Tamarindorum ℥ v.
Mannæ ℥ ij.
Sacchari boni albi lib. j ß.

Coquantur cum residuo ad justam mellis consistentiam: tunc adde syrupo sequentes pulveres optime pulverisatos, ab igne lebete deposito, factoq; tepido.

℞. Scamonii ℥ j ß.
Quinque Myrab: generum, ut
Cytrinorum,
Chebulorum,
Indorum,
Bellericorum,
Emblicorum ana ℥ ß.
Rhabarbari,
Sem. Fumariæ ana ʒ iij.
Spicæ Nardi,
Anisi, ana ʒ ij.
Confice secundum artem.

Auctor est Hamech Arabs, qui à Mesue in scriptis suis Zachariæ filius nuncupatur, atque filius Zezar. Parens ejus fuit Rhasis, qui Regi Persarum medicos libros conservavit: sed Bauderonius Hamech putat esse filium Heli, qui Rex fuit Damæ civitatis celeberrimæ olim in Syria. Possunt diligentiores recrea-

 tionis

tionis ergo, hanc rem ulterius inquirere. Ego ad alia transeo.

CAP. V.

Benedicta laxativa.

℞. Turpethi electi,
Sacchari ana ℥ x.
Hermodactylorum,
Scammonij præparati,
Rosſ. Rubrarum ana ℥ v.
Salis gemmæ,
Cariophyllorum,
Zinziberis,
Macropiperis,
Macis,
Spicæ Nardi,
Galangæ,
Croci,
Sem. Apij,
Fœniculi,
Asperagi,
Rusci,
Carvi,
Saxifragi,
Lythosparmi,
Amomi,
Cardamomi ana ℥ j.
Cum mellis despumati lib. 1. ß.
Fiat Electuarium.

Pulvis

Pulvis ſiccus in vaſe vitreo diligenter obturato, ſervetur, citra mellis admixtionem, ad uſus neceſſarios.

Terenda ſunt ordine primo Turbith, Hermodactyli, Zinziber, Nardus Indica, forfice minutim conciſa, & Galanga. Hiſce ex dimidio tritis adde Semina, Caryophyllos, & Piper. Tandem roſas, poſtea Macem, Sal gemmæ per ſe. Sic Diagridium, & Crocus cum ſaccharo, quæ omnia in mortario miſceantur, & melle deſpumato ſimul excipiantur pro Elect.

Nomen Bened. lax. ſortitum eſt, quia benignè laxat. Aliqui Eſulam admiſcent, ſed non ex Nicolai Alexandrini auctoritate, ideo eam prætermiſimus.

Turbith, Hermodactyli, & Scammonium leviori piſtillo debent teri, ob majorem purgationem, ſed alia ſubtiliſſimè, ut magis penetrent. De præparationibus ſatis.

CAP. VI.

Elect. Lenitivum.

℞. Paſſularum enucleat. ℥ ij.
Herb. Adianthi nigri,

Herb.

Herb: Violariæ,
Hordei mundati ana M. j.
Iujubarum,
Sebeften ana n. xx.
Glycyrrhizæ ℥ ß.
Prunorum enucleatorum,
Tamarindorum ana ℨ vj.
Fol. Senæ,
Polipodij, ana ℥ ij.
Mercurialis M. j ß.

Decoquantur ſecundum artem in ſ. q. aquæ puræ, cola, diſſolve colaturæ
Pulpæ Caſſiæ,
Pulpæ Prunorum,
Pulpæ Tamarindorum,
Sacchari optimi,
Sacchari violati ana ℥ vj.
Pulveris Senæ ℥ iij ß.
Fiat Electuarium.

Etſi dubium ſit de auctore hujus compoſitionis, plerique tamen eam Nicolao Alexandrino adſcribunt; ſed ego Cordo conſecravi. Modus præparationis talis eſt. Hordeum ex duabus bulliat aquæ libris, ad dimidias; tunc addantur Rad. Polipodij, Paſſulæ exoſſatæ, nec non Iujubæ, & Sebeſten, cum Prunis enucleatis: tandem Adianthum, cum Violis, & Mercuriali, ſub fine Tamarindi,

marindi, & folia Senæ. Hiſce ab igne remotis adde Glyzyrrizā, quæ quidem infuſionem ſed minime coctionem tolerat. Cola: in parte una colaturæ Caſſiæ, Pruna, & Tamarindi madefiant, ut facilius per cribrum tranſeant. Coque reſiduum decoctionis, cum præſcripto ſaccaro ad mellis conſiſtentiam, & adde huic Pulpas, foliaque Senæ pulveriſata, & fiat Elect: uſui reponendum.

CAP. VIII.

Hiera ſimplex Galeni.

℞. Aloes puriſſimæ non lotæ, ʒ C. ſeu ℥ xij ß.
Cinamomi,
Spicæ Nardi,
Croci,
Rad. Azari,
Xylo-Balſami. Fernelius ejus loco ſtatuit folia Macis.
Maſtiches ana ʒ vj.
Mellis deſpumati lib. iiij. ℥ iij.
Fiat Electuarium.

Simul terenda ſunt lignum Aloes, Spica Nardi, Rad. Azari, & Cinamomum. Per ſe Aloes, Crocus & Maſtiche, quæ ſimul miſceantur: poſtea mel-

le deſpumato excipiantur, vel pyxide cuſtodiantur uſui. Galenus lib. 6. methodi hanc Hieræ deſcriptionem habet.

Græci compoſitiones purgatorias, Hieras, hoc eſt ſacras, nominabant: ſic etiam antiqui, & addidere pycram, quod amarũ ſignificat, propter aloem, à qua baſin & purgatricem vim habet.

CAP. VIII.

Hiera Diacolocyntidos.

℞. Colocyntidos,
Agarici levis & albi,
Marubij,
Camedrios,
Stæchados Arabicæ ana ʒ x.
Oppoponacis,
Sagapeni,
Ariſtologiæ rotundæ,
Sem. Petroſelini,
Piperis albi ana ʒ v.
Cinamomi,
Spicæ Nardi,
Polij,
Croci, Myrrhæ ana ʒ ij.
Mellis deſpumati q. ſ.
Fiat Electuarium.

Oppo

Oppoponax, Sagapenum, & Myrrha, primo in vino malvatico, vel hydromellite liquefiant, & tunc per linteum exprimantur, & coquantur ad consistentiam mellis: iis adde mel despumatum, pulveres per ordinem tritos, & serva usui. Scribonius Largus cap. 97. libri sui de comp: med. inquit: Pacchium hanc Hieram fœlicissimo successu ægris exhibuisse, & pro secretorum secreto usque ad obitum sibi reservasse. Eo mortuo delata est juxta formulam descriptam ad Tyberium Cæsarem, à quo habuit Scribonius. Hanc Hieram Oribasius lib. 3. Synopseos tribuit Ruffo. Paulus Egin. lib. 7. cap. 8. Archigeni: cui consentit Aëtius cap. 114. text. 10. serm. 10.

SECTIO VIII.

De Opiatis.

CAP. I.

De Opiatis in genere.

OPiata Electuaria sunt liquida. Nomen vel ab ipso Opio, vel ejus colore sortiuntur. Licet angustiori significatu

ficatu Opiata tantum dicantur à veteribus medicamenta, quæ Opium admittunt, cujuſcunque ſint conſiſtentiæ, vel ſolida, ut pillulæ de Cynogloſſa: vel mollia, ut Philonium Romanum: jam tamen latius pro quibuſvis confectionibus molliuſculis uſurpantur, ſive cardiacæ alterantes purganteſque & nercoticæ ſint: etiamſi Opium admittant, ut Theriaca: ſive cardiacis, & alterantibus conſtent, ut conf. Alkermes, de Hyacintho: ſive purgantibus, ut Triphera, Diaprunum, & ſimilia, quæ tamen frequentius Electuariorum, & confectionū nomine deſignantur. Quærat fortaſſe curioſus aliquis, cur inventa? Reſponſio in promptu eſt (ut Galenus teſtatur cap. 2. lib. 2. de locis affectis, & Ælius cap. 12. lib. 2 de ſignis & cauſis morb: diuturnorum) ad ſævitiam dolorū leniendam. Ante ſextum menſem non ſunt ſumenda ex Opio Opiata compoſita, teſte Avicenna, fen. 4. cap. 30. Gal. 3. ſimpl. cap. 18. & 19. ob fermentationem. Vt Eva ex coſta Adami formata eſt, ita Theriacam ex Mithridatii compoſitione ab Andromacho compoſitam eſſe traditur, idemque affirmat antiquitas. Variæ apud Galenum

num libro primo de Antidotis, inveniuntur descriptiones hujus Mithridatij, quarum una Andromacho; Antipatri, & Cleopatri altera; Damocrati tertia Iambico carmine decantata adscribitur. Theriaca similiter triplex est, sed consulo (salvo aliorum judicio) ne aliam Theriacæ confectionem, quam ab Andromacho heroico carmine (ut facilius memoriæ inhæreret) descriptam, à filio ejus oratione soluta explicatam, ab Avicenna etiam dicto loco retentam, sequamini.

CAP. II.

Mithridatium ex Damocratis Græco carmine in Latinam linguam translatum, & à Marantha correctum.

℞ Myrrhæ Arabicæ troglodytidis,
Croci ex Anglia optimi,
Agarici albi levis & friabilis,
Zinziberis albi, non corrosi,
Cinamomi, cujus loco interjoris cortices canellæ,
Spicæ nardi, sit levis, & larga, gerens comam, colore flavo, odorata,

Thuris

Thuris clari albi, levis, lenis, rotundi, granis concreti,
Thlaſpios Cappadociæ,
Vmbelliferæ ana ʒ x.
Siſeleos Maſſilienſis,
Opobalſami Indici,
Scœnanti,
Stæchados Arabicæ,
Therebinthinæ,
Galbani,
Coſti,
Piperis longi,
Caſtorij Pontici,
Succi Hypociſtidos,
Styracis pinguis, flavi, reſinoſi, albicantibus granis,
Oppopanacis,
Folij Malobatri ana ʒ viij.
Caſſiæ nigræ, cujus loco, Canellæ craſſioris.
Polij montani,
Piperis albi,
Scordij,
Dauci Cretici,
Carpobalſami, cujus loco Cubebæ,
Troch: Cypheos, Vide Tractatum de Trochiſcis,
Bdellij ana ʒ vij,

Nardi Celticæ,
Gummi Arabici,
Petroſelini Macedonici,
Opij Meconij,
Cardamomi minoris,
Sem. Foeniculi,
Gentianæ, ſunt radices,
Florum Roſarum Rub.
Diptamni Cretici ana ℥ v.
Sem: Aniſi,
Rad: Azari,
Succi Glycyrrhizæ,
Acori,
Phu, ſeu Valerianæ majoris,
Sagapeni ana ℥ iij,
Meu Athamantici,
Acaciæ,
Ventris Scinci veri,
Fructus Hyperici, ana ℥ ij ß.
Vini, quantum ſufficit, ſuccis & liquoribus diſſolvendis.
Mellis optimi albi, & deſpumati lib. IX. ℥ iiij.

Mithridates horum medicaminum [v]irtutes excogitavit fere ante bis mille [a]nnos. Qui cum devictus in Ponto erat, [R]omam à Pompejo Magno ducitur, ut [h]oc medici ſpolio triumphum augeret. [Q]ui ubi illud intellexit, ſtatim venenum hau-

hausit, & plus etiam, quam satis esset, ebibit, non tamen mori potuit. (nihil enim regibus magis inhonestum videbatur, quam in triumphum rapi) Filias vero ipsius, quæ cum patre vitam finire prorsus decreverant, atque ideo ex eodem quoque veneno hauserant, celeriter occubuisse, tradunt. Mithridates igitur, qui mori tardaret, eò quod Antidotus, quam præsumpserat, venenum redderet irritum, unum ex amicis, nomine Bistocum, cui mandavit, ut se jugularet, vocavit. Is autem opus veneni ferro absolvens Mithridatem violenta morte confecit, ut aperte Plinius recenset lib. 23. nat. Hist. cap. 9. Vnde quam præstans sit contra omne venenum hoc antidotum, si Galeno fidendum, invenietis, illud contra omnes venenosorum animalium morsus, statim sumentibus singulare esse remedium: quod hisce carminibus testatus est Andromachus:

At qui calcati morsu serpentis anhelat,
Ignarusve doli toxica nigra bibit:
Et cum mane novum, & cum se sol abdidit undis,
Sumat ab æquali pondere, tutus erit.

Idem præstat Theriaca; nam qui sani,

ni ipsam biberint, non facilè pestilentiâ capiuntur, ut cantat Galenus lib. 1. de Ther: ad Pisonem:

Neu te dira lues, neu lædat noxius aër,
Hanc cape, cum prima est sole revecta dies.

Probat idem virtutes Theriacæ laius in vita M: Antonii, & aliorum.

CAP. III.

Theriaca Andromachi senioris, è carmine elegiaco translata.

Quam cum absolvero, succedanea & modum conficiendi breviter demonstrabo: nam nemo tam ignarus est, qui postquam priora perceperit, sequentia non facile præparet, atque misceat.

℞ Trochisc: Scylliticorum, ℥ xlviij,
Trochisc: Theriacorum,
Piperis longi,
Liquoris Papaverini, id est, Opij,
Magmatis Hedicroi, ana ℥ xxiiij.
Flo: Ros: siccarum,
Iridis Illyricæ,
Succi Glycyrrhizæ,
Sem: Buniadis,
Scordij,
Liquoris Balsami,
Cinamomi,

Agarici ana ℨ xij,
Myrrhæ,
Costi,
Croci Anglici opt,
Cassiæ ligneæ,
Nardi Indicæ,
Iunci Arabici,
Thuris,
Piperis nigri,
Piperis candidi,
Comarum diptamni,
Marubij,
Rhei Pontici veri,
Stæchados,
Sem: Petroselini Maced.
Calaminthi montani,
Lachrimæ Therebinthi,
Zinziberis,
Rad: quinque folij ana ℨ vj,
Polij montani,
Chamæpityos,
Styracis,
Mei,
Amomi,
Nardi "galliaticæ, seu Celticæ,
Rubricæ lemniæ,
Phu Pontici,
Chamedrios veræ,

Fol.

Fol. Malabatri,
Chalcitidis tostæ,
Rad. Gentianæ,
Sem: Anisi,
Succi Hypocistidos,
Fructus Balsami,
Gummi splendidi,
Sem: foeniculi,
Cardamomi minoris,
Siseleos tenuis,
Succi Acaciæ,
Sem: Thlaspios
Florum Hyperici,
Sem: Amnios,
Sagapeni ana ℥ iiij.
Castorii non pinguis,
Aristolochiæ tenuis,
Sem: Dauci Cretici,
Bituminis,
Liquoris Oppopanacis,
Centaurij minoris,
Galbani pinguis ana ℥ ij,
Confice cum vino & melle ad formam Opiatæ, repone & serva, vasculis non ligneis, sed vitreis, argenteisque corneis, non stanneis aut cupreis, sed ...staceis, densis tamen.

Hoc sensere Andromachus, Pamphil, Hali, Abbas Serapio, Nicolaus

Præpositus, Paulus, Myrepsius, Avicenna, Aëtius, quos legite per otium. Vas minimè replendum, ut coctione exhalare, exspirareque fuliginosa excrementa queant: cum Paulo singulis diebus semel aperiatur. Suadet Aëtius illud mense integro non movendum, sed male: nam quod in superficie est, & quod vasi contiguum est, ejusque lateribus adhæret, exarescit. Itaque suaderem, bis terve (ut explicat Avicenna) in septimana, splendente sole, agitandum usque ad decimum mensem. Recte illa conficitur diebus canicularibus, quia tum temporis sol probe excalefacit, & diutius apud nos perdurat. Ratio nominis nihil profecto, aut certe parum ad rem ipsam facit: sed cum sint, qui putent, illam nomen à Tiria accepisse, quod prædita sit facultate vincendi morsus animalium venenosorum; alij propter Viperarum carnes admixtas (quas τὰ θήρια Græci vocarunt) tale nomen medicamento huic impositum fuisse contendant; alij verò aliter statuant, operæ pretium fore putavi breviter hoc examinare.

Observandum ergo ante Andromachum, atq; Mithridatem omnia medica-

menta

menta morſibus ferarum adverſantia
appellata *Theriaca*, ut ſcribit Nicander
de Alexapharmacis. Poſt Nicandrum
ipſum Galenum id non latuit, qui lib.6.
in 6. Hipp. epidem: Com:5 inquit: *Quæ
ferarum morſibus medentur*, *Theriaca vo-
cantur*. Quod apparet lib.12. *meth. med.*
cap. ult. Sic & Oribaſius ſentit, refe-
rente Aëtio Tetrab: 4. ſerm. 3. cap. 14.
qui ex Centaurio compoſitum empla-
strum adverſus ferarum, & rabidi canis
morſus θηριακὴν appellavit. Multi hanc
compoſitionē Galeno tribuunt, ſed fal-
ſo, ut videndum eſt lib. 1. de Antidotis
cap. 1. Pluribus de nomine diſputare
inutile judico: ideo de ſuccedaneis &
de mixtione breviter nunc dicam.

Succedanea.

Pro Cinamomo ſume cortices inte-
rioris canellæ.

Pro Opobalſamo Oleum Nucis mo-
ſchatæ, aut Caryophyllorum.

Pro Coſto, rad. Zedoariæ.

Caſſia quæ venditur, eſt Pſeudo-Ca-
ſiæ, ejus loco Cinamomum duplex.

Pro fructu balſami, Cubebas.

Pro Nardo Celtica, ejus radices.

Pro Aro, Azarum.

Pro Acacia ſuccum Prunorum ſylve-
ſtrium.

Pro Rheo Pontico, Rhabarbarum parum exsiccatum.

Pro Schænanthe, Iuncos, & non flores cape cum Cordo.

Pro Sigillo Lemnio, Bolum Armenum.

Pro Malabatro Macem, sed nos ob eandem facultatem spicam, ut refert Galenus, lib.6 de simpl. Avicenna vero post Spicam Epithymum prescribit, sed ejus rationem prorsus ignoro.

Cum autem hæc omnia bene collegeris, & optime præparaveris, ita ut quisque Medicorum tuam laudem prędicet ob diligentiam, restat compositionem aggrediaris, quæ tritura absolvitur; hæc eadem est ut coctio, sicuti in ea considerandum est, quæ majorem, mediocrem, & minimam sustinent decoctionem, sic in trituratione, quæ longam, mediocrem, & minimam ferunt trituram. Hoc recte considerato contundantur omnia duriora; denique mediocria. Tandem ea quæ forcipibus inciduntur, ut Schinci, Iunci, & plura. Per se Thus, Bdellium, Myrrha, Galbanũ, Sagapenũ, Opium, vino Malvatico dissolvuntut, & per cribrum trajiciuntur. Hisce probe peractis Styrax in

n guttis mortario & piſtillo calentibus diſſolvitur, cum melle calido, & pauco Therebithinæ Venetæ, quæ optime agitabis, & per Setaceum mittes. Deinde melle illo ſolve Troch: Cypheos, quibus adde reſiduum Therebinthinæ, & Opobalſamum, vel ſuccidaneum ejus, & miſce ſimul quam diligentiſſime: tunc adde hiſce gummi ſoluta, & tandem mel, deinde pulveres pro compoſitione Theriaces. Recenti & antiqua utimur, prima frigidior eſt, itaque ad morbos calidos convenit: antiqua vero frigidis opitulatur, quæ mediæ ætatis morbis medio modo ſe habentibus confert.

Hæc de Theriaca, quæ perſequi nobis libuit: plura reperiuntur apud Galenum lib. 1. ad Piſonem, qui ejus facultates optimè deſcribit.

CAP. IV.

Confectio Alkermes D. M.

℞. Succi Pomorum odorif.
Aquæ Roſ. ana. lib. 1. ß.
Serici crudi, ſucco granatorum recenter tincti lib. 1.
Infundantur ſimul horas xxiiij, dein-

de coquantur, donec rubeant liquores: quos expresso & abjecto serico, coque cum saccari optimi ℥ CL. vel lib. I ß ℥ vj ad mellis crassitudinem, ab igne depositis, & adhuc calentibus misce

Ambræ crudæ minutim concisæ ℥ ß.

Qua liquata injice pulverem sequentem.

℞. Ligni Aloes crudi optimi, vel santali Citrini.
Darcheni, id est, Cinamomi el. ana ℥ vj.
Lap: Cyanei, id est, Lazuli usti & loti,
Margaritarum alb: præp. ana ℥ ij.
Fol. Auri Opt. concisi ℥ j.
Moschi Orientalis optimi ℈ j.

Fiat electuarium, vase vitreato diligenter obturato, reponendum. Tritura à durioribus, ut sæpe docui, inchoanda.

Præparatio lapidis Lazuli est talis.

Vritur in crusibulo, quo utuntur aurifabri, seu olla parva fictili: dum autem fere frigidus fuerit, teritur & affunditur aqua communis, qua abluitur tam diu, donec aqua limpida post lotionem maneat: postea cum mola sub lapide

pide porphyrio molitur, additis aquis cordialibus, iterumque exſiccatur: hoc bis terve facto, iterum teritur, atque miſcetur cum margaritis, cæteriſque pulveribus. Hiſce ita ſimul mixtis, adde ſyrupum ad juſtam conſiſtentiam coctum, una cum Moſcho, & Auro, utroq; in partes ſciſſo. Fit Electuarium.

Meſues inventor eſt, ut probat part. 2. 1. diſt. A fructibus Kermes ipſi nomen eſt, & Baſis, qui Arabibus & Serapioni ſunt grana [illegible] tinctorum, quod à Græcis Coccum appellatum eſt. Plura Dioſc. Lobelius & Dodonæus de granis Alkermes ſcribunt.

CAP. V.

Philonium Romanum, ſeu Magnum.

℞. Piperis albi,
Hyoſciami albi, ana ℥ v.
Opii ℥ ij ß.
Caſſiæ ligneæ aromaticæ,
Cinamomi, ana ℥ j ß.
Sem: Apii,
Euphorbii, quod abjiciunt nonnulli: ſed ſi hujus loco parum Caſtorii poſueris, Baſis erit emendatior.

Costi ana ℥ j.
Sem: Petroselini,
Fœniculi,
Dauci Cretici, ana ℈ ij. g̃ v.
Nardi Indicæ,
Pyrethri,
Zedoariæ, ana g̃. xv.
Croci Orient. ℈ ß.
Mellis optimè despumati,
Omnium triplex pondus.

Ex arte paretur Opiatum, usui asservandum.

Per se Crocus, & Euphorbium separatim pulverisanda sunt, alia ut diximus, quæ cum mixta fuerint, excipiantur melle, & serventur ad usum.

Nomen est ab auctore Philonio Medico, & Philosopho Græco Thercensi, loco natali S. Pauli Apostoli, Praxin exercente Romæ. Addidit Galenus distinctionis causa Magnum: nam reperiuntur multæ diversæque Philoniorum compositiones, ut patet lib. 9 de Med. loc. cap. 4. Basis Opium est.

CAP. VI.

Requies Nicolai.

℞. Rof. Rub.
Flor. Violariæ, ana ℥ iij.
Meconii, id est Opii,

Sem. Hyoſciami,
Papaveris albi,
Intibi, ſeu Scariolæ,
Lactucæ,
Portulacæ,
Pſyllii,
Cort: Rad: Mandragoræ,
Nucis moſchatæ,
Cinamomi,
Gingiberis ana ℥ j ß.
Sacchari Candi ℥ j.
Trium Santalorum,
Spodii,
Gum. Tragacanthi ana ℈ ij gr. v.

Technice fiat omnium pulvis, uſui reponendus, vel cum Iulapio roſato præparetur Opiatum uſui.

SECTIO IX.

De Pilulis.

CAP. I.

De Pilulis in genere.

ANtidota, atque Electuaria à veteribus vocata, à nobis, ut potuimus, breviſſimè tradita ſunt, & eorum pertundendorũ modos edocuimus. Iam deinceps pilularum (quas Græci coccos quaſi granula, ac Catapotia vocant)

compositiones eodem ordine exponemus. Dicta autem sunt ἀπὸ τοῦ καταπινεῖν. quod *devorare*, *deglutire*, vel *bibere* est: nam id genus non editur, nec lingitur, nec diluitur, sed usurpatur integrè, ut testatur Scrib. Largus const. 87. ac Marcellus vir illustris & Med. cap. 14. Hos Romani globulos, orbiculosve vocant, ab orbiculari figura, & diminuta pilæ forma: glomeramina à Quinto Sereno dicta sunt, cap. 55. ut patet hisce versibus.

Dilue præterea glomeramina, quæ gerit intus
Clausa Aries, inter geminæ coxendicis umbram.

Notandũ, quod grossiori modo, quam alia medicamina debeant pulverisari, ut eorum substantia in ventriculo manens longius ex partibus distantibus potentius trahat, & expurget. In massam redactæ Pilulæ per annum unum, vel alterum incorruptæ servari possunt. Lege Serap. tract. 7. cap. 34.

CAP. II.

In specie de Pilulis Aggregativis.

℞. Aloes optimæ,
Turpeti gummosi ana ℥ vj.

Scam-

Scammonii ʒ v.
Rhabarb. el.
Myrabalanorũ Citrinorum ana ʒ iiij.
Succorum Eupatorii
Abſynthii ana ʒ iij.
Agarici albiſſimi,
Colocynthidos præparatæ,
Myrab: Gebularum
Indarum,
Rad: Polipodiiquerni ana ʒ ij.
Epithymi Cretenſis,
Salis gemmæ,
Maſtiches Chiæ,
Fol. Roſ. Rubrarum,
Sem. Aniſi,
Zinziberis ana ʒ j.
Syr. Roſ. pro Electuario Roſato, q. ſ. Fiat maſſa.

Meſues duas ſub hoc nomine Aggregativo comprehendit compoſitiones, vel deſcriptiones, ſcilicet majores, & minores exuſuales. Abſynthij tamen ſuccus media hyeme haberi poteſt: ſi autẽ ſucco Abſynthij hyeme indigeas, collige menſẽ Majo herbam, tere eam, & torculari exprime per linteum, impone veſicæ, quæ ſoli exponenda eſt, vel phiolæ, donec juſtam acquirat craſ-

 ſitiem,

ſitiem, & ſervabitur per duos annos. Eadem ratio eſt de ſucco Eupatorij, alijſque ſuccis.

Turbith, Polipodium, Zinziber, Rhabarbarum, Myrabolani, Oleo Amigdalino parum fricata, terenda primo. Semen Aniſi, Epithymum ſecundo. Aloes perſe. Sic Diacridium, Trochiſci Alandal, maſtich, ſal gemmæ, & Agaricus: ſunt qui Trochiſcos facilioris triturationis cauſa addunt, ſed nos ob plurimas rationes cum ſenioribus crudum addimus. Hiſce ſimul junctis, cum ſuccis miſceas oportet: quibus, ſi in unum corpus redigi non poſſunt, adde El. roſatum Meſuæ, vel Syrup. Roſ. ſolutivum, authore Framboſario. Hæc diverſo modo iterum ab authoribus deſcripta mihi in mentem venit. Nihilominus hanc Meſuei accipiendam ſentio. Quæ ab illo ita deſcribitur.

℞ Succi Roſ: completi lib. iiij.
Sacchari albi lib. I. ß.
Tereniabin puri & rec. ℥ vj.

Coquantur omnia cum facilitate ſuper ignem, donec habeat ſpiſſitudinem mellis; Syrupo ab igne remoto adde
Scammonij per ſe triti ℥ j. ß.

Troch.

Troch. de ſpodio ℥j.
Troch. Galliæ,
Croci ana ʒij.
Troch. de Berberes ʒ iij.
Fiat El. in vaſe vitreo reponendum.

CAP. III.

Pilulæ, ſine quibus eſſe nolo, D.N.

℞. Aloes Roſatæ ʒ iiij.
Scanimonij probè triti, ʒ vjß.
Myrab: omnium, nempe quinque,
Rhabarbari,
Fol. Senæ,
Agarici, Troch:
Maſtiches, Abſynthij,
Roſarum Rubrarum,
Violarum,
Cuſcutæ ana ʒ j.
Succi foeniculi cum melle cocti q.ſ.
Fiant pilulæ.

Aloes ſucco Roſ. lota intelligitur: modus lotionis ſequitur. Cape ſ: quantitatem Aloes, quam tere, poſt triturationem pone in vaſe vitreo, ſuperinſunde ſuccum Roſarum pallidarum, ratione majoris purgationis, & tege craſſiori panno, quod exſiccetur,

cum

cum exſiccata fuerit, iterum redige in pulverem & ſerva.

Hic verus modus ablutionis eſt. Ne abluatur aquâ, ut plurimi faciunt, teſtante Galeno lib. 7. de art. curat. loquens de Hiera lota, & Dioſcorides lib. 3. Cap. de Aloe.

Hic dubium occurit: debeatne Aloe ſæpe lavari aquis, & ab ijs purgari? Reſpondetur, Non: nam lotio in Aloe aufert, quæ ſubducunt, & quanto lotiones magis multiplicantur, tanto minus ſubducens efficitur. Ratio eſt, quia in omni ablutione tenuiores partes auferuntnr, atque ejiciuntur; unde quanto plures fiunt ablutiones, tanto plures tenues partes abeunt, quæ baſis & fundamentum ſunt ejectionis. Quid agendum igitur? lavanda leviter, & permittendum, ut reſideat, inde aqua leviter abijcienda, & ſoli exponenda, ut de ſuccis exſiccandis dixi.

CAP. IV.

Pilulæ Aureæ.

℞. Aloes optimæ,
Scammonij præp: ana ℥ v,
Roſ. Rub.

Sem:

Sem: Apij ana ℥ ij ß.
Sem: Anisi,
Foeniculi ana ℥ j. ß.
Troch. Colocynthidos,
Mastiches, Croci, ana ℥ j.

Mellis Rof. pro Muschilagine Tragacanthi q.s. Fiat massa.

Nota, quod author solam pulpam Colocynthidos à seminibus inundatam intelligat, authore Mesue cap. de Trochiscis Alandal, dum jubet, Colocynthidem esse purgandam à seminibus.

Nicolaus Præpositus, Arnoldus Villænovanus putant, nomen extitisse ab excellentia: dicunt illi, sicut inter metalla Aurum est præstantissimum, ita est massa pilularum aurearum inter pilulas præstantissima.

CAP. V.

Pilulæ de Fumaria.

℞. Aloes ℥ vij.
Scammonij præp:
Myrab: Citrinorum,
Indarum,
Cebularum ana ℥ v.

Trita omnia ter imbuantur succo Fumariæ, & toties exsiccentur, sed melius

melius coganturin maſſam cũ melle exſpumato, in quo idem ſuccus coctus eſt, nam Cronenburgius inquit: uno alias menſe non ſolum lapidis duritiem contrahunt, verum etiam rimas, & ſitum rancidum oſtendunt. Avicenna lib. IV. fen. 7. cap. 7. de curatione ſcabiei, de hiſce pilulis agit.

Eximantur à Myrabulanis nuclei, qui fricentur oleo violato, vel Amigd. dulcium, partim ad corrigendam aſperitatem, partim etiam ad lubricandum.

CAP. VI.

Pilulæ de Agarico.

℞. Turpethi opt. gummoſi ℥ v.
Pil: Hieræ picræ Gal. ℥ iiij.
Agarici albiſſimi ℥ iij.
Colocynthidos,
Sarcocollæ ana ℥ ij.
Radicis Ireos,
Herb: Praſſij albi,
Myrrhæ electæ ana ℥ j.
Cum ſapa compone uſui reponendam maſſam.

Radicibus Ireos, & Turpethi pulveriſatis ad dimidium, adde Praſſium album ſiccatum: ſimul tere & per cribrũ

orum traijce. Agaricus perſe cum Rob, vel vino piſtatur, & exſiccatur, denuo levigatur, deinde adde cœteros pulveres, nempe Myrrham, Sarcocollam, &c. quæ cum Robub excipienda pro maſſa ſunt. De Agarico vide Galenum lib. 4. de ſimplicibus, Paulum ſeptimo, Plinium decimo ſexto. Eligendus eſt albiſſimus, frangibilis, minime lignoſus, aut perſoratus: nigrum denſum, durum gravẽ, & qui in fragmẽtis ſuis veluti fila nervorum habet, authores improbant. unde ejuſmodi inter noxia medicamenta repoſuit Dioſ: lib, iii. Meſues, quatuor annis ſervari poſſe, vel quinque cum Dauco, leviſtico, & Polipodio refert. Mediocrem fert trituram.

Sarcocolla quid ſit docet Dioſcorides lib. 3. cap. 8. Sit Thuri ſimilis, rufa, guſtu amara, aſſerente Galeno libro octavo de ſimplicibus. Meſue cap. 18 haſce Pilulas deſcripſit, & Avicenna libro 3. tractatu 1. cap. 40. ad Aſthma.

CAP. VII.

Pilulæ Cochiæ Rhaſis.

℞. Pulv. Hieræ Picræ ʒ x.
Turpethi optimi,

Stæcha-

Stæchados Arabicæ ana ʒ v.
Colocynthidos præp: ʒ iij ℈ j.
Scammonij præp: ʒ ij ß.

Cum ſyrupo de Stæchade, vel ſucco Abſynthii à Meſue in ſua praxi præſcripto, forma maſſam.

Author harum Pilularum Rhaſis eſt cap. 1. lib. 9. Nomen à Coccis, quod granum ſignificat, deſumpſit. Si ex Helleboro eas conficere libitum fuerit, adde ℥ j maſſæ pilularum, ʒ ij pul. Hellebori caſtigati, id eſt correcti, & forma maſſam. Corrigitur vino malvatico per noctem infuſo, mane expreſſo, atque lento igne ſiccato.

CAP. VIII.

Pilulæ de Hermodactylis D:M.

℞. Hermodactylorum,
Aloes ſuccotrinæ,
Myrab. Cytrinarum,
Turpethi optimi,
Colocynthidos,
Bdellij Thebaici,
Sagapeni, vulgo ſerapini ana ʒ v.
Caſtorij,
Sarcocollæ,

Euphor-

Euphorbij,
Opoponacis,
Sem: Rutæ,
Apij ana ℥ iij.
Croci optimi ʒ j ß.
Cum ſucco Braſſicæ depurato forma maſſam.

Gummi ſucco caulium diſſolvantur, & denuo ad mediocrem conſiſtentiam coquantur, iiſque adde pulveres recto ordine tritos, & cum ſucco caulium fiat maſſa, Oleo amygdalino humefacta.

Euphorbium non valde pulveriſandum eſt, ut inquit Meſues, quia offendit ſtomachum & hepar, ob vehementem virtutem. Hæc eſt ratio, cur Dr. Fernelius illud non admittit.

Animadverſio.

In omni compoſitione, in qua Gummi genera ingrediuntur, conſiderare oportet, an Gummi in pulverem redigi poſſint abſque alia vehementiori exſiccatione, an non: ſi ſine illâ non poſſunt redigi, diſſolve illa vino Malvatico, vel alio vino generoſo; ſed Maſtiche excipitur, quia per ſe ſemper teritur.

CAP.

CAP. IX.

Pilulæ fœtidæ D. M.

℞. Sagapeni,
Ammoniaci,
Oppoponacis,
Bdellii,
Colocynthidis,
Sem: Pagani, id eſt Rutæ agreſtis,
Aloes Succo-trinæ,
Epithymi Cretenſis ana ℥ v.
Turpethi optimi ℥ iiij.
Scammonii Antiocheni ℥ iij.
Alſceram, id eſt, Ezulæ præp.
Hermodactylorum ana ℥ ij.
Zinziberis ℥ j ß.
Cinanomi,
Spicæ Nardi,
Croci,
Caſtorii ana ℥ j,
Euphorbii ℈ ij,

Gummi cum ſucco Porri, ut diximus, ſolvantur, & coquantur ad formam maſſæ.

Præparatio Ezulæ.

Ezulæ radicis cortex probatur tenuis, levis, fractu facilis, Caſſiæ fiſtulæ modo rubeſcens. Vt Turbith lacte, ſic

Ezula

Ezula aceto corrigitur, quæ per diem ac noctem aceto acerrimo maceratur, mane acetum abjiciatur & exſiccetur Eſula.

CAP. X.

Pilulæ de lapide Lazuli D. M.

℞. Hieræ picræ, ʒ xv.
Agarici albiſſimi,
Polipodii quercini,
Epithymi Cretenſis ana ʒ viij.
Lapidis Cyanei loti ʒ vj.
Caryophyllorum,
Sem: Aniſi ana ʒ iiij.
Scammonii Antiocheni,
Ellebori nigri,
Salis Gemmæ, pro Indo ana ʒ ij ß.

Cum ſucco Intybi, id eſt Endiviæ epurato vel cum Syrupo de Pomis forma maſſam.

Omnia cum cæteris habet, ſed no- tur præparatio lapidis Lazuli: qui c non ut in conſ. Alkermes uratur, ſed vetur: lotionem deſcriptam apud raſſavolum vide lib. de pil. fol. 93. apidem hunc, qui à Latinis Cyaneus uncupatur, in tenuiſſimum pulverem

redigo,

redigo, poſtea accepto lapideo mortariolo hunc pulverem injicio, & aquam ſtillatitiam Bugloſſæ, Roſ. Violariæ ſuperingero; mox piſtillo in circulo ducto, aquam & pulverem ſimul commiſceo, hocque facio vehementi agitatione; poſtea permitto, ut reſideat: quo facto aquam hanc abjicio, & aliam ſuperingero: iterum vehementi agitatione commiſceo, & idem facio terve, quaterve, donec nullus color, ſapor, vel odor ſuperſit; ſi autem nihil horum ſuperfuerit, ſtatuo lotionem eſſe perfectam. Modus lotionis legitimus iſte eſt, ſalem gemmeum pro Indo, quo caremus, ſubſtituimus.

Vt pulveres commodius excipiantur, atque maſſa tutius ſervetur, ſuadeo, ut pro ſucco Intybi ſumatur Syrupus Regis Saboris. Monet Rondeletius, ne pro Helleboro nigro capiatur Aconitum illud venenoſum, quod fere ſimilia folia, radiceſque habet. Si de eo quis dubitet, relinquat id, & ſubſtituat ex auctoritate hujus magni Doctoris radices Hellebori albi. Patet præparationis Methodus.

Nomen ſumpſit à lapide Laſuli, qui falſo nomine ab Avicenna, & Serapione

ne Armenus, ſeu Armeniacus dicitur: parum diſſident inter ſeſe: Hic ſiquidem aureis ſtellulis, & velut radiis emicat cœruleo flaveſcentibus; ille maculis multis & viridibus, cœruleis, & quibuſdam ſubnigris diſtinguitur. Attamen ideo affines ſunt, ut conſenſu Medicorum alter in alterius locum facilè ſubſtitui poſſit. In fodinis reperitur æraiis, & aureis. Plura apud Dioſcoridem. Auctor eſt Meſues.

CAP. XI.

Pilulæ Stomachicæ, Corroborativæ vel ante cibum D. M.

℞. Aloes optimæ, ʒ x.
Maſtiches Chiæ,
Roſ. Rubrarum, ana ʒ ij.

Cum Syrupo Abſynthites cogantur in maſſam. Aloes, Roſæ, & Maſtich per ſe terantur, ſimulque mixta Syrupo excipiantur.

CAP. XII.

Pilulæ Ruffi.

℞. Aloes electæ, ℥ ij.
Myrrhæ optimæ, ℥ j.

Croci, ℥ ß.

Cum vino rubro fiat maſſa.

Communes, Peſtilentiales, atque Ruffi appellantur. Ruffus Epheſius dicitur auctor hujus deſcriptionis, qui Romæ tempore Imperatoris Trajani, & Adriani vixit. Multi de illo dubitant, & Rhaſi tribuunt, ſed falſo: nam Rhaſis & Galenus longo tempore poſt vixerunt, ſub Marco Aurelio, Commodo, & Antonino, ut confirmant Suetonius, & Plutarchus. Rhaſis tranſcripſit eam lib. 4. cap. de peſte. Paulus Ægineta adjunxit Ammoniacum, ut patet lib. 2. cap. 36.

CAP. XIII.

Pilulæ de Aſſaret.

℞. Aloës optimæ, ℥ j.
Pulv. Hieræ picræ, ℥ ß.
Myrabal. Citrinarum,
Maſtiches Chiæ ana ʒ ij.
Cum Syrupo de Stæchade cogantur in maſſam.

Pulveriſa quæ pulveriſanda ſunt, & ſerva. Auctor eſt Avicenna lib. 5. Fen. 1. tract. 1. cap. 29. Baſis eſt Aloes.

CAP. XIV.

Pilulæ de Eupatorio.

℞. Aloës Optimæ, ℥ v.
Rhab. electi, ℥ iij ß.
Myrabal. Citrinarum,
Suc. Eupatorii,
Abſynthii, ana ℥ iij.
Maſtiches Chiæ, ℥ j.
Croci, ℥ ß.
Syr. de Cichorio q. ſ. ad formandam maſſam.

Primo pulveriſanda ſunt Myrabolana, & Rhabarbarum: ſuccos ſole inſpiſſatos in minutiſſimas partes ſciſſos per intervalla iis adde, vel addito vino rubro, lento igniculo diſſolve. Aloes, Maſtich & Crocus per ſe pulveriſentur. Hiſce mixtis cum ſyrupo malaxentur.

Duæ ſpecies compoſitionis Eupatorii ſunt, quarum prima Major eſt, à me jam deſcripta. Secunda Minor appellatur à Meſue, non eſt in uſu. Loco Eupatorii utimur ex communi conſenſu, ſucco Agrimonii.

CAP. XV.

De Hiera cum Agarico.

℞. Aloes optimæ, ℥ j.
Hieræ ſimp.
Agarici Troch. ana ℥ ß.
Melle Roſ. colato formetur maſſa.

Si quis deſiderat pilulas hieræ ſimplices, in promptu habeat ſpecies ejus in officina, & melle miſceat haſce, tempore præſcriptionis: tunc enim habebit præparatas.

CAP. XVI.

Pilulæ de Cynogloſſo.

℞. Myrrhæ, ʒ vj.
Thuris Maſculi, ʒ v.
Rad. Cynogloſſi,
Sem. Hyoſciami,
Opii, ana ℥ ß.
Croci,
Caſtorii, ana ʒ j ß.
Cum ſyrupo violato, vel de Ferſara fiat maſſa.

Poſſunt omnia ſimul in pulverem teri, exceptis Croco, & Myrrha. Opium malaxetur ſyrupo, eoque pulveres addantur, & formetur maſſa. Meſues il-

lorum

orum auctor est: qui eas nominat pilulas ad Catharrum, Coryſan, Tuſſim, aliosque id genus affectus.

Satis abunde de Pilulis egi: loquor itaque cnm Nicolao Præposito: *Omnia libro meo comprehendere, & in officina servare Medici non imperant, nec morbi, nec Pharmacopolæ jubent.* Ideo cum ſelectioribus, probatioribusque desinam, & de Trochiscis ultimò agam.

SECTIO X.

De Trochiſcis.

CAP. I.

De Trochiſcis in genere, eorumque uſu.

TRrochiſci ſunt quædam rotundæ confectiones, cum quadam depreſſione ad modum Lupini; quandoq; fiunt in longitudine quadam, & rotunditate. Græcis appellatur τρόχισκος, id est, rotula, nec non κύκλισκος, quod circulus ſeu orbiculus est, etiã ἀρίσκος, quod parvum panem, ſeu paſtillum demonſtrat, quod ad hoc tempus ubiq; obſervatur.

Ratio compoſitionis eorum inventa eſt, ut ſpecies intrantes diutius & melius conſervarentur. Differunt primo

cum Pilulis in figura, quia, hæ omnino sunt rotundæ ad formam pilæ, ut ante diximus. Secundo, in operatione, quia Pilulæ omnes aut laxant, aut leniunt: sed Trochisci multoties neutrum illorum faciunt. Tertio, quia non sunt ingrati ad sumendum, sicut pilulæ.

Nota tamen, quod Trochiscus non detur in propria forma, quia talis ad deglutiendum est ineptus; sed in pulvere, Electuario, Confectione, Decoctione: secundum quod Medicus intendit, aut etiam in pilulis, maxime quando dantur ad capitis dolorem.

CAP. II.

Trochisci de Agarico.

℞. Agarici albissimi, serra præcisi quantum volueris, maceretur sæpe vino albo, cui infusum est Zinziber, & cogatur pistando in Trochiscos.

Sunt qui huic correctionis causa adjiciunt sal gemmæ, aliqui mannam, sed non ex auctoritate Galeni. Cronenburgius eximios Trochiscos describit lib. 6 de comp: med. Mesues auctor est Agarici; electio monstrata est supra.

CAP. III.

Trochisci Alhandaal. D. M.

℞. Pulpæ Colocynthidos albæ, levis, à granis purgatæ, ℥ x.

Forcipibus incidantur minutissime, & fricentur Olei Rosacei ℥ j. deinde accipe mucoris Tragacanthi, Gummi Arabici, vel Bdellii infusorum aqua rosacea ad triduum, ana ʒ iij. Formentur Trochisci.

Infundantur gummi aquæ Ros. duorum dierum spatio, interea mundetur colocynthis, quæ forcipibus incidatur crassiusculè, misceaturque cum glutine, & fiant Trochisci in umbra siccandi. Post iterum pulverisentur exquisitissime, & denuo eorundem glutine permisceantur, quod ter, quaterve fiat pro compositione Trochiscorum.

Alhandaal apud Arabes est, quod Colocynthis apud Latinos. Quid sit docet Dioscorides lib. 4. cap. 18.

CAP. IV.

Troch: Bechicæ, seu Albæ, vel sub lingua. D. M.

℞. Sacchari albissimi, lib. ß.

Sacchari Candi,
Pinnideorum, ana ℥ ij.
Rad. Ireos Florent. ℥ j.
Amyli albiſſimi, ʒ vj.

Muſcilaginis Tragacanthi ex aqua roſarum factæ, q. ſ. ad Trochiſcorum conformationem.

Omnia pulveriſari debent perſe, deinde excipi cum muſcilagine Tragacanthi ut dixi Dicuntur Bechicæ à verbo græco βήχικον, quod medicamen contra tuſſim ſignificat. Idem inquit Trallianus lib. ij. cap. iiij. Hanc compoſitionem Meſue cap. de tuſſi deſcribit.

CAP. V.

Troch. de Myrrha D. Rhaſis.

℞. Lupinorum ʒ v.
Myrrhæ ʒ iij.
Fol. Rutæ,
Mentaſtri,
Pulegij,
Cumini,
Rubiæ tinctorum,
Aſſæ fœtidę,
Sagapeni,
Oppopanacis ana ʒ ij.

Cum ſucco Arthemiſiæ formentur paſtilli, Primo ordine pulveriſandæ radices

dices Rubiæ, deinde Semina Cumini & Lupini, tandem herbæ. Per ſe Myrrha, & Caſtorium; Gummi liquanda ſunt in decocto vel ſucco Arthemiſiæ, vel Iuniperi, ut Rhaſis. Deinde linteo forti traijcienda, ad aquæ humiditatis diſſipationem, & conſiſtentiam mellis. Hiſce poſtea addenda ſunt reliqua ſimplicia, ut artis eſt, pulueriſata, ad formandos paſtillos.

Duo Lupinorum ſunt genera, affirmante Dioſc: lib. 2. cap. 102. Rhaſis lib. 9. cap. 83. hanc deſcriptionem habet, Baſis eſt Myrrha.

CAP. VI.

Trochiſci de Capparibus D.M.

℞. Cort: Rad: Capparum,
Sem. Agni caſti id eſt Viticis ana ℥ vj.
Gummi Ammoniaci ℥ iiij.
Ariſtolochiæ rotundæ,
Rad. Acori,
Fol. Rutæ,
Calamenthes Montanæ,
Sem. Malanthij, vulgo nigellæ, Rom.
Naſturcij,

Succi Eupatorij ana ʒ ij.
Cyperi,
Scolopendrij ana ʒ j.

Eorum ac ſuperiorum eadem eſt ratio parandi. Ammoniacum, diſſolvitur aceto, coquiturque ad conſiſtentiam mellis, & eo pulveres ſubiguntur, addito Syrupo de Byzanthijs, vel de Fumaria, & formabuntur Trochiſci. Si efficaciores volueris, inquit Plantius, & carere Trochiſcis de Lacca, adde hiſce gummi Laccæ, Rubiæque tinctorum.

CAP. VII.

Trochiſci de Abſynthio D. M.

℞. Comarum Abſynthij,
Roſ. Rubrarum,
Seminis Aniſi ana ʒ ij.
Rhab: electi,
Succi Eupatorij,
Rad: Azari,
Apij,
Amygd: amararum à cort. purg.
Spicæ Nardi,
Maſtiches,
Fol. Indici ana ʒ j.

Cum ſucco Intibi formentur Trochiſci, qui umbra ſunt ſiccandi.

CAP.

CAP. VIII.

Trochiſci Galliæ Moſchatæ.

℞. Ligni Aloes crudi & non cocti, nam alioquin corpus mortuum eſt ℥v.
Ambræ ℥ ij.
Moſchi ℥ j.

Cum muſcilagine gummi Tragacanthi, ex aqua Roſ. extracta, fiant Trochiſci figura folij Myrthei, ſigillentur vaſe vitreo, & reponantur.

CAP. IX.

Troch: Cyphi Damocratis.

℞. Vvæ paſſæ pinguiſſimæ à cortice & ab acinis mundatę, & probe levigatæ,
Terebinthinæ puræ ana ℥xxiiij.
Myrrhæ ſelectæ,
Scenanthos ana ℥ xij.
Cinamomi ℥ iiij.
Bdellii lacrimæ,
Spicæ Nardi,
Caſſiæ nigræ aromaticæ,
Cyperi,
Baccharum Iuniperi,

Calami odorati ana ʒiij.
Aſpalati, ejus loco, Zedoarij ʒ ij. ß.
Croci ʒ j.

Mellis Narbonenſis, aut alterius optimi, pro Attico & vini generoſi q. ſ. ad formandos Paſtillos.

Præparatio nec difficilis, nec laborioſa.

Myrrha & Bdellium in vino generoſo primum deducenda, quibus addenda Therebinthina, deinde pulpa Paſſularum mundatarum, & per cribrum trajectarum, denuo pulveres: omnia tandem melle deſpumato & probe cocto excipienda, & in maſſam cogenda, ex qua formentur Trochiſci, in umbra ſiccandi, olla vitrea, aut fictili reponendi ſervandique.

Nomen Cyphi odoramenta & ſuffimenta ſignificat, teſte Gal. cap. 75 de ſimpl: med: fac. Sacerdotes Ægypti ob ſuavem odorem ex eo candelas conſtruebant. Magnus ille Rex, de quo in compoſitione Mithridatica, hujus compoſitionis author eſt, quam poſtea Damocrites carmine deſcripſit. Tempore diſpenſationis Mithridatij hoſce confice.

CAP.

CAP. X.

Troch: de Viperis D. Andromachi.

℞. Carnis Viperarum cum Anetho & ſale in aqua coctæ ℥ viij.

Hæc in mortarium conjecta valide piſtillato juſculo, in quo viperæ fuerint coctæ, ad mollitiem cum panis triticei medullæ, albiſſimi exſiccati, & tenuiſſime pulveriſati ℥ ij. piſtentur ſimul: ex ejus maſſa formentur paſtilli, manibus primò Opobalſamo, aut ſuccedaneo unctis, in umbra ſiccandi.

Vipera ſerpens eſt, quam recentiores Medici Tyron vocant. Hinc eſt, quod præſentem paſtillum è Tyro inſcribant. Vipera non in Belgio, ſed in Italia copioſe invenitur, Framboſario teſte. Eligenda eſt vipera colorem ſubflavum, collum maxime protenſum, oculos ſubrubentes, inverecundos, ventrem craſſiorem, caudam acervatim in tenuitatem abeuntem, habens. Capiendæ autem ſunt viperæ, non quovis tempore, ſed deſinente vere, aut principio æſtatis, quo tempore conſueto cibo, ex aëre aliquamdiu fuerint recreatæ. Ut rite præparentur, prius virgis cædantur

dantur ipſarum capita, & caudæ præcidendæ: nam præterquam quod hæ partes virulentiores eſſe videantur, etiam duræ, & modicæ carnis exiſtunt. Eligendæ ſunt fœminæ, & mares relinquendi, quorum caro in tenuitatem ſenſim abit. Mas diſcernitur corporis tenuiori trunco, ex craſſiori collo, anguſtiori capite, habetque tantum duos dentes: foemina vero quatuor, ut medicorum vates cecinit Nicander.

Mas geminis notus virus ructare caninis
Dentibus, his autem fert fœmina Vipera plures.

Si plura de ijs deſideras, lege Mathiolum, in Dioſcoridem lib. 6. cap. 50.

CAP. XI.

Trochiſci ſcillitici D: Andromachi.

℞. Scillæ aſſatæ partium internarum lib. 1.
Farinæ Erui ℥ viij.

Terantur hæc ſimul valide in mortario, & ex maſſa formentur Paſtilli, qui in umbra ſiccandi. Modus aſſationis patet cap. de Eclegmate Scillitico.

Ne cape loco Erui radices Diptamni, quia nõ ſunt raræ, ideo præſtat cum

Androm:

Andróm: & Galeno genuinam deſcriptionem admittere, quam ſine neceſſitate aliquid ſubſtituere, & mentem authoris defraudare: ſit candidum, & ruſſeum, quod minus amarum, & magis Alexiterium eſt.

CAP. XII.

Trochiſ: Hedicroi Andromachi.

℞. Rad. Acori veri, vice amomi ℥xij.
Malabatri, Nardi Indicæ,
Caſſiæ aromaticæ,
Myrrhæ ſelectæ,
Croci ana ℥vj.
Calami Aromatici.
Iunci odorati,
Coſti,
Phu Pontici,
Cinnamomi,
Seminis lentiſci pro Xilobalſamo,
Olei Macis pro Opobalzamo ana ℥iij.
Sant. Rubri, pro Aſpalatho,
Azari,
Mari,
Amaraci ana ℥ij.
Maſtiches Chiæ ℥j.

Cum

Cum vino generoſo ſormentur Paſtilli. Primo radices, & ligna, dein aromata, poſtea reliqua terenda ſunt: ſed Maſtich, Crocus, Myrrha ſeorſim, quæ ſimul miſcenda ſunt cum oleis, & vino Malvatico pro Trochiſcis.

Galenus horum paſtillorum deſcriptionem carminibus edidit. Multę varięque deſcriptiones reperiuntur lib. j. de Antidotis.

Ab authore Andromacho, & Galeno vocantur Hedicroi, ab Arabibus voce *Alvi Daracaron* & per Metaphoram *Magma*, quod optima ſelectiſſimaque medicamenta, ex quibus exprimitur, ſignificat. Nomen Hedycron colorem gratiſſimum, nitidiſſimumq; deſignat, ſicuti ἥδυχρον μύρον unguentum gratiſſimum à Dioſcoride eſt.

CAP. XIII.

Trochiſci de Spodio D. M:

℞. Roſ: Rub. ℥ xij.
Spodii præp. ℥ x.
Sem: Acetoſæ ℥ vi.
Coriandri ex aceto, & torrefacti,
Pulpæ Sumachi ana ℥ ij ß.

Amyli

Amyli aſſati,
Fl. Balauſtiorum,
Bacch: Berberes ana ʒ ij,
Gummi Arabici aſſi ʒ i ß.
Omphacij, id eſt, ſucci uvarum immaturarũ, quantum ſufficit.

Forma Paſtillos, quibus utere cum ſucco aliquo aſtringente.

Spodium quid?

Spodium Græcum derivatur à ſpodos, quod cinerem ſignificat, ſed illud particulariter de illa materia dicitur, quæ ad exteriora fornacum latera adhæret, in quibus argentum à plumbo ſeparatur.

Certe non illud, neque Antiſpodium gręcorum intra corpus aſſumere liceat, neque Arabum ſpodium per os ingerendum erit, quamvis Avicenna & alij Arabes ejus uſum in roborandis Corde & Iecore plurimum commendent: ſed laborandum eſt, ut habeantur oſſa Elephantis combuſta, ſive ebur uſtum, nam hoc pollet aſtringendi facultate, ſis cautus, & cave ne tibi tradantur oſſa boum, vel canum, ejus loco. Si plura deſideres revolve lib. 1. Fuſchii de comp: fol. 189. de vero Spodio officinarum.

CAP.

CAP. XIV.

Trochisci de Carabe D. M.

℞. Succini præp: ℥ i.
Cornu Cervi usti,
Coralli combusti,
Papaveris nigri tosti,
Gummi Arabici assati,
Tragacanthi,
Acaciæ,
Hypocistidos,
Balaustii,
Mastiches,
Laccæ ana ʒ ij ℈ ij.
Thuris,
Croci,
Opij ana ʒ ij.

Cum Muscagine seminis Philly, aquæ Plãtaginis macerati forma Trochiscos.

Opium, Acacia, Hypocistis debent minutim primum incidi, dein cum Balaustijs pulverisari, tum & Gummi, Per se Crocus, & Thus; tandem omnia usta hisce addi, & cum psilly muscagine formari Trochisci debent.

Nota quod Renodæus cap. x. lib. 3. sect. 3. improbat medicamenta adusta, sed vult ponantur cruda, nam ut inquit: *Me-*

Medicamen non deterius, ſed præſtantius erit: ſi quid enim eximiæ virtutis habet cornu Cervi, aut Corallum, hæc ipſa potius habere cruda, quam aduſta credibile eſt. Quid uſtio medicamentis conferat, quid ab his auferat, quid adferat, minime ſum neſcius, ſed multa vix hunc patiuntur apparatum, ſine magno virium diſpendio. Vrat tamen, qui voluerit, modò expetitas cum cineribus retineat vires. Huc uſque ille.

Ambra flava ab Arabibus dicitur Karabe, quod eſt paleas rapiens, à Græcis ἤλεκτρον quod feſtucas colligat, & ad ſe trahat: ſuccinum à Latinis, quia ex pingui terræ ſucco concretum eſt.

Rondeletius pro Lacca ſtatuit, ſang. Draconis, qui gummi eſt arboris Draco nomine, in inſulis Canariis luxuriantis: quod à colore ſanguinis Draconis nominatur.

CAP. XV.

Trochiſci Alkekengi D. M.

℞. Bacc. Halikakabi, ſeu Alkekengi, ℥ iij.
Sem. Citri,
Melonis,
Cucurbitæ, ana ℥ iij ß.

Boli

Boli Armeni,
Gummi Arabici,
Thuris,
Sanguinis Draconis,
Sem: Papaveris albi,
Amygd. amararum,
Succi Glycyrrhizæ,
Tragacanthi,
Amyli,
Nucleorum Pineorum, ana ʒ vj.
Sem: Apii,
Hyoſciami albi,
Succini, vulgo Carabæ,
Opii, ana ʒ ij.

Compone paſtillos cum ſucco Halikakabi, quos repone uſui.

Semina Alkakengi, Apii Hyoſciami, Papaveris, facile pulveriſanda ſunt cum ſucco Glycyrrhizæ. ſemina 4 frigida, Amygdalæ & Pinea cultro conciſa cum ſeminibus miſceantur facile. Gummi piſtillo calido pulveriſari debent, vel cum ſeminibus parum ſiccari. Bolus, Succinum, ſanguis Draconis, Thus per ſe. Opium diſſolvatur ſucco Alkakengi ad formandos Trochiſcos.

Duas habet Præpoſitus deſcriptiones, quarum prima Meſuei, ſecunda

Nicolai eſt, ſed prima (quæ magis in uſu eſt) tenendam cenſeo. De qua in-præſentiarum.

Halikakabus geminus eſt, peregrinus, & vulgaris, officinis ſatis cognitus, depravata voce *Alkakengi* nominatur: utimur ſucco, & foliis.

CAP. XVI.

Trochiſci albi Rhaſis.

℞. Ceruſæ aqua roſ. lotæ, ℥ x.
Sarcocollæ craſſioris, ℥ iij.
Amyli, ℥ ij.
Gummi Arabici,
Tragacanthi, ana ℥ j.

Camphoræ ℥ ß, cum Sylvio, qui albiores ſunt, quam qui conficiuntur cum Opio.

Singula per ſe pulveriſata, & mixta excipiuntur aqua roſarum, vel lacte, cum Rhaſi, & formantur Trochiſci parvi, qui ſiccati reponuntur uſui. Opium utendi tempore addi poteſt. Notandum verò, Rhaſin auctorem hujus compoſitionis non meminiſſe Amyli, ſed Matthęum de Gradibus ejus interpretem addidiſſe.

Modus lavandi Ceruſam facilis eſt.

Bis,

bis, terve lavatur, & aqua abjicitur: postea ſupra lapidem exſiccatur, & mola in ſubtiliſſimum pulverem ducitur. Quare hoc fiat cap. de pulveribus in genere demonſtratur.

FINIS

Libri Primi.



LECTORI S.

Postquam Dei beneficio libellum meum ita ad finem perduxi, placuit tibi, candide Lector, nunc exhibere alterum non minus utilem ac necessarium; cum veram methodum miscendi Cerata, Emplastra, Vnguenta, & Olea exactè doceat. Complures quidem doctrinâ, ingenio, & judicio præstantes viri facem nobis in hac materia scriptis suis præluxerunt. Attamen, si fatenda veritas est (absit invidia dicto) perfectum ea conficiendi modum vel intactum reliquerunt, vel parcè attigerunt, vel incertas vias insistentes multis obscuritatibus rem involverunt. Quæ omnia cum tyronibus difficilia spinisque obsita, ex meo ipsius ingenio jam tunc, cum primò hanc artem colere incepi, judicarem, aggressus sum ordine clariori ac breviori ad imitationem expertissimi viri Iohannis du Boys materiam hanc pertractare, illiusque præscripta artis Pharmaceuticæ studiosis proponere, ne erretur, sed ritè procedatur in eo, unde ægroti solatium ac levamentum exspectant, quodque à Medicis unicè desiderant. Salve.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT SINGVLARE.

De Ceratis, & Emplastris.

CERATVM est medicamentum, aggregatum ex stirpium partibus, metallicis, mineralibus, terra, & animalium partibus, cum cera ad formam solidam. Proportio autẽ Cerati est, vt pro unciis tribus olei ponatur ceræ semũcia, specierum verò drachmæ duæ, vel tres. Si liquidius vis habere Ceratum, quarta pars ceræ est ponenda: si solidius, tertia: si ad formam Emplastri secunda: differtque ab Emplastro tantum mollitie, quia minus ceræ recipit, quam Emplastrum, nomenque habet à cera. Emplastrum verò medicamentum esse dicemus aggregatũ ex metallicis, mineralibus, terra, & animalium partibus simul mixtis, durum valde, & solidũ, quia plus ceræ recipit. Nam in Emplastri cõpositione ponitur ceræ vncia vna dimidia, olei drachmæ sex, si nulla alia ingrediantur, sive hyeme, sive æstate. Atque hæc quidem satis sint admonuisse de quantitate ceræ, & olei. Nunc dicendum est in genere, quæ sit illorum materia, & quomodo in Ceratis, Emplastris, & Vnguentis apponatur: deinde modum conficiendi, seu miscendi, præscribemus.

Cerata, Emplaſtra, vnguẽta conficiuntur Ex

- Stirpiũ partibus, vt
  - Mucaginibus, quæ ex radicibus & ſeminibus cõficiũtur: Gũmi generibus, vt lacrymis omnibus, liquoribus cõcretis, & nõ cõcretis, vnctuoſis, & aquoſis, radicibus, corticibus, herbis, floribus, ſeminibus, & cõſimilibus.
- Metallicis, Mineralibus, & Terra, vt
  - Lithargyrio vtroque, Ceruſa, Sãdaracha veterũ, Cinnabarj, ære vſto, æruginis ſpeciebus, flore æris, plumbo, ponpholyge, bolo armena, & conſimilibus.
- Animalium partibus, vt
  - Cera, ladano, axungiis omnibus, œſypo, butyro, Seporum generibus, melle, moſcho, ambra, zibetta, glutine piſciũ, ſtercore omni, oſſe Sepiæ, cranio humano, mumia.

Mucagines coctæ adduntur in Emplastris post nutritionem, & perfectam coctionem lithargyrij paulatim affundendo, sicque coquuntur ad ipsarum consumptionem, vt videre licebit infra in Emplastris diachylon magni, & parvi. In quibusdam unguentis postquam cera est cum oleis, axũgiis, adipibus liquata, & ab igne deposita, frigefactis semper spatula movẽdo injiciũtur: ut in unguento resumptiuo, & in omnibus unguentis, quæ quotidie à medicis præscribuntur.

Gummi, quæ sunt partes Stirpium, ut lacrymæ, liquores concreti, & non cõcreti, quædam spatio sex horarũ super cineribus calidis macerantur, proprio, & conuenienti liquore, (sœpissimè in aceto forti, vel vino, ut paulatim solvantur) deinde igne lento, ad humidi non radicalis consumptionem continua agitatione coquuntur, cocta & consumpta humiditate cum terebinthina (si ea addenda veniat) conjunguntur, in Ceratis, Emplastris & Vnguentis permiscẽtur, prius tamen cera, axungia, sepo, medulis &c. liquefactis & refrigeratis, ut

Ammoniacum,	Opopanax,
Galbanum,	Assa fœtida
Sagapenum,	Bdellium, si molle sit.

Gummi alia genera, vt Thus vtrumque, Mirrha, Mastiche, Lacca, Hædera, Sarcocol-

la,

a, Iuniperinum, Belzoi, Euphorbium vetus, Aloë separatim in pulverem tenuissimum reducuntur, ordinéque sub finē iniiciuntur.

Gummi alia calore modico cum oleis separatim vel simul cum axūgiis, adipibus, sebis & butyro, vt & Terebinthina, Resina vtraque, Colophonia, pice vtráque, spatula semper ducendo solvuntur, & initio, aliquando in medio, aliquando in fine ponuntur, vt in Emplastro gratia dei, & in vnguento Basilico minori, & in Emplastro pro stomacho.

Gummi alia dissolvuntur calore mediocri cum humore convenienti, vt opium cum pauca aqua rosacea, in vnguento rosato Mesuæ, (si requiratur) tragacanthum arabicum, in vnguento resumptivo, hypocistis, acacia (si admittantur) omnia ante infusionem, vel aspersionem pulverum, Ceratis, & Vnguentis induntur.

Radices, cortices, herbæ, flores, aliæque stirpium partes, aliquando recentes, aliquando siccæ necessariæ sunt. Recentes omnes á corde interno separatim inscinduntur, & pistillo ligneo in mortario lapideo contunduntur, quæ vbi contusæ fuerint igni lento vna in vino (vt in Cerato Ioannis de Vigo, in vnguento Neapolitano) aut in oleis (vt in vnguento Agrippæ) aut in axun-

giis & adipibus (ut in unguento populeo) infunduntur, & continua agitatione coquuntur, ut infra videre licebit: ſcilicet quæ vino maceratæ ſunt, ad medias: deinde colantur. Colata vero cum cera, oleis, axungiis, & adipibus ad humidi peremptionem eodem igne coquuntur, & in Ceratis, Emplaſtris, Vnguẽtiſque primum locum obtinent. Quæ vero in oleis, axungiis, & adipibus infunduntur, igne leui, ſpatula ſemper ducendo, ne vrantur, coquuntur, donec nihil humidi remaneat : deinde linteolo rudi extorquendo tranſcolantur, & quod ſiccum eſt, abiicitur : & hæc in Emplaſtris, & Vnguentis etiam primum locum habent. Radices, cortices, herbæ, flores ſicci, ſecundum ſuam ſubſtantiam ordine, vel per ſe in pulverem tenuiſſimum reducũtur, & ultimo ordine in Ceratis, Emplaſtris, & Vnguentis permiſcentur.

Metalla vel Mineralia ſeparatim ſuper porphyrio molula porphyrica, liquore conveniẽti aſperſo, ducũtur, eouſq; dum in pulverem reducta ſint: ut Ceruſa, Lithargyriũ utrũq. Alij in mortario æreo Ceruſam, Lythargyriũ utrumq; lavando tractant (vt in modo miſcendi dicemus) quæ deinde cum oleis ſolis, aut axũgiis, & adipibus igne lento, ſpatula aſſiduè ducẽdo, aliquot horis nutriuntur, & coquuntur; cocta ſecundum in

En pla-

Emplaſtris, & vnguentis obtinent locum, & aliquando primum, ſcilicet cùm eſt magna eorum quantitas.

Metalla ut Sandaracha veterum, Cinnabaris, æs uſtum, Pompholygis genera, &c. pulverata, cùm in Emplaſtris & Vnguentis quantitate parva ponuntur, debent poni, cùm cera liquata eſt cum oleo, vel cum axungjis, & adipibus iam refrigeratis, ut videre licebit, in Emplaſtro contra rupturam, & Vnguento diapomphyligos.

Alia extinguuntur, & cùm maſſa Emplaſtri, vel vnguenti refrigerata eſt, in ea ponuntur, ut argentum vivum, &c.

Animalium partes liquantur ordine, quædam per ſe, aut cum oleis, ut Cera, Ladanum, calore moderato: & ſunt in quibuſdam Ceratis, & Emplaſtris præcipuum corpus, ut in Emplaſtro pro matrice. Quædam ſeparatim, vel unà aliquando cum oleis liquantur calore modico, nivis ac grandinis modo, ut axungiæ & adipes omnes, oeſypus, butyrum, ſeporum genera, & mel, quæ in Ceratis, & Emplaſtris ponuntur, poſtquam cera erit liquefacta, vel cum Lithargyriũ decoctum eſt in modum unguenti. In unguentis vero primum ob-

tinent locum dempta oesypo, quæ in fine Cerati, Emplastri, & Vnguẽti semper poni debent. Aliæ verò cum liquoribus minime unctuosis in mortario dissolvuntur, ut moschus, ambra (quamvis tamen facile calore modico liquari potest) Zibetta, gluten piscium, stercus omne, & in Ceratis, Emplastris, & Vnguentis initio quidem ut gluten piscium, stercus omne, in fine vero moschus, ambra, zibetta admiscentur, sed rarò nisi à Medicis præscribantur.

Hactenus breviter liquationes, dissolutiones, coctiones, & triturationes quæ conueniunt ad Ceratorum, Emplastrorum, Vnguentorum, & Oleorum confecturam, expedivimus. Reliquum est, ut ordine illorum conficiendorum methodum præscribamus.

SECTIO PRIMA.

CAP. I.

Ceratum Sandalinum. D. M.

℞. Rosarum rub. exungatarum ℥ xij.
Santalorum rub. ℥ x.

Santal

Santali albi,
Citrini ana ʒ vj.
Boli Armenicæ ʒ vij.
Spodij Arabici aqua plantaginis loti, ob acrimoniam, ab igne contractam, ʒ iiij.
Camphuræ, ʒ ij.
Ceræ albæ ponticæ, vel noſtræ facticiæ, ℥ iij ʒ vj.
Olei Roſ. immaturi lib. 1.

Conficiantur & adminiſtrentur S. A. Nonnulli ceram & oleum lavant & poſtea permiſcent, quod approbo.

Santala omnia fruſtatim diviſa ſimul in mortario contundes, aquam roſaceam (ne ſubtilior pars effluat) aſpergendo: cumque ferè, vel omnino erunt pulveriſata, roſas addes, ut ſimul cum reliquo pulvere ſantalorum perfectè tundantur: deinde tenuiſſimo cribro tranſmittes, nec non ſervabis, donec bolum armenicam, & ſpodium in pulverem redegeris ſeparatim tenuiſſimè ut alcooch. Deinde cum aliis pulveribus antè paratis paulatim permiſcebis, & ad uſum ſervabis. Poſteà ceram confractam in lebete cum oleo, cineribus calidis aut balneo mariæ liquabis: deinde ubi erit liquata, & oleo commixta,

aqua roſacea lavabis ter aut quater ſemper abjiciendo aquam, & aliam innovando (quanquam revera, ſi ceram albam bene depuratam, & recentem habeamus, oleúmque recens, non eſt opus ablutione) deinde igne lento ſiccabis, ne humiditas ex lotione remanens rancorem, & putredinem temporis intercapedine cauſetur. Poſtea finito frigeſcere, & pulveres prædictos, quos ad uſum ſervaveris, immiſce: demum caphuram in mortario cum piſtillo calido paululo aquæ roſaceæ ſolutam (quam alij cum pauco oleo terebinthinæ liquant, quod minimè fieri debet, cùm terebinthina pro ſcopo compoſitionis videatur calidior) totumque probe commixtum ad uſum reconde.

CAP. II.

Ceratum Vigonis.

℞. Olei chamæmeli,
Olei anethi,
Olei de ſpica,
Olei de lilio, ana. ℥ iiij.
Olei de croco ℥ ij.
Pinguedinis porcinæ, lib. ij.
Pinguedinis vitulinæ, lib. j.

Euphor-

Euphorbij rec. ʒ x.
Thuris Maſc. ʒ xx.
Olei laurini, ℥ iij.
Ranas viventes. Nu. xij.
Pinguedinis viperæ, ℥ v.
Lumbricorum lotorum in vino. ℥ vij.
Succi radicis Ebuli, &
Inulæ. ana. ℥ iiij.
Schœnanthi.
Stœchados Arabicæ.
Matricariæ ana M. ij.
Vini odoriferi, lib. iiij.
Bulliant omnia ſimul uſque ad conſumptionem vini, deinde colentur, cui colaturæ addantur
Lithargyrij auri loti lib. ij.
Terebinthinæ claræ, ℥ iiij.
Et cum cera alba ſufficienti ad ignem fiat Ceratum ad modum Sparadrapi, addendo in fine coctūræ
Styracis liquidæ, ℥ iij.
Deinde ab igne, baculo agitando, donec tepidum fuerit, poſtmodum addentur
Argenti vivi extincti cum ſaliva. ℥ viij.

Iterum agitando baculo donec argentum vivum optimè incorporetur.

Debent lumbrici terrena exinaniri fæce, & aqua fontana ter aut quater semper abjiciendo aquam, & aliam innovando leviter ablui, ut quicquid terræ illis adhæserit, auferatur: debent quoque illo vino, quod hanc compositionem ingreditur, macerari, cumque his & eodem vino ranæ adhuc vivæ incoqui, ad tertiæ partis consumptionem. Tunc Matricariam quoque incisam injicies, deinde Schænanthum incisum ac parum contusum, & Stœchadem ad semilibræ coquendo consumptionem, ut ex quatuor primis libris duæ tantum remaneant. Postea permittes omnia simul ita macerari, donec decoctum penitus refrigeratum sit: deinde colabis per pannum cannabinum rudem, velociter extorquendo, servabisque quoad tandem lithargyrium nutriatur, agitando baculo, vel spatula lignea, xij horarum spatio, in lebete amplo cum Oleo chamæmelino, anethino, de lilio, croco, & axungiis porcinis, vitulinis, & viperinis. Alii postquam lithargyrium spissitudinem unguenti cum oleis

adep-

adeptum ſit, tunc axungias paulatim omnes addunt, iterumque cum litargyrio ad mellis craſſitiem coquunt. Omnibuſq; his poſt nutritionem peractam mixtis, fiat decoctio lenta, donec lithargyrium ſpiſſitudinem unguenti acquirat, nec fundo vaſis adhæreat, quod quidem veræ mixtionis judicium erit (quæ vulgò incorporatio appellatur) in quod lithargyrium ita parâtum, & decoctum, ſemilibram prædictæ decoctionis infundes, ab igne illud auferendo, ne repentino novarum rerum contactu effluat, & elabatur: poſteaque iterum igni forti ad coquendum appones, donec prima injecta humiditas tota abſumatur: ſœpiuſque idem factitabis, reliquas partes prædictæ decoctionis paulatim injiciendo, donec univerſa humiditas conſumatur: ita ut unaquæque decoctionis infuſio, non excedat ſemilibram. Statim his peractis ſuccos ebuli, & inulæ campanæ minimè defæcatos in lithargyrium ita paratum infundes. Tunc igne adaucto lithargyrium perfectius ad ſacchari roſati formam concoques, vel ad conſumptionem dictorum ſuccorum, alias non aſſervaretur ſine putredine. Poſthæc ab

igne ſepones, & quamprimum ceram minutim inciſam (ſi deſideretur) conjicies, qua liquata, totum refrigerari permittes. Deinde Thus, Euphorbium ſemotim in modum alcooch pulveriſatum deſuper inſperges. Demum argentum vivum prius defæcatum agitatione & maceratione in aceto albo facta: poſtmodum tranſcolatione duplici vel triplici facta per pannum denſum vel corium comprimendo, ut quicquid terrei vel plumbei ineſt, auferatur, extinctumque cum ſaliva humana una cum terebinthina, Styrace liquida, oleo laurino, & de ſpica commixtum & incorporatum conjicies ac ſubiges, magdaleoneſque finges. Cæterum, antequam hanc aggrediatur pharmacopola emplaſtri compoſitionem, debet diligenter animadvertere, ut olea pellucida habeat, pariterque pinguedines unum diem vetuſtate non excedentes: alii vetuſtiſſimas pinguedines accipiunt pro ſcopo compoſitionis.

Præterea modus ab auctore ſcriptus minime approbandus mihi videtur, cum vult axungias ſeu pinguedines, Thus, Euphorbium cum cæteris aliis ſimul concoqui. Nam ſi ita fieret, totum medica-

dicamentum coctione corrumperetur: Quædam enim longiori, alia breviori coctione indigent. Quare consulerem secundum modum à nobis descriptum potius faciendum esse, quam secundum alium modum ab auctore descriptum.

Ping. porcinæ.

Ping. vituli.

Ping. viperæ.] Hæ autem duæ primæ pinguedines sumi ex animalibus vigente autumno debent, cùm per hoc tempus animalia sint graciliora & præcipuè circa renes. Sed viperina finiente vere, nondum tamen æstate inchoata, & maximè circa Zirbum, id est, circa intestina. Debentque quoque in hunc modum præparari. In largiori aquæ frigidissimæ copia, tunicis exemptis, convenit pinguedines confricari, deinde firmiter expressas siccari, subindeq; alia recenti aqua lavari & exsiccari ut prius: hæcq; ablutio debet ter aut quater repeti, semper abjiciendo aquam, & aliã innovando, donec última aqua conspiciatur sincera, & nitida. Deinde eas oportebit in minutissimas partes devidere, & vase duplici liquefacere, spatula lignea aliquoties agitando: eliquatas colo transfundere in aquam, donec fri-

 gescant:

gescant: quibus refrigeratis, aqua lentè & guttatim injicienda, & in idem vas alia infundenda, ut leviter iterum eluātur, unde manu comprimi debent, quo facilius fæculentum virus pessum eat. Posthæc in pilam spongia nitida madefactam transfundantur, ubi coire cæperint, residētes in imo sordes eximantur. Cæterum alii sine aqua eliquanr, & absque duplici vase, ut magis durent, eo quod illarũ humiditas superflua liquefactione ista magis tollitur, quã si in duplici vase liquescerent, Eliquatas vero, & ita paratas fictili optime clauso, loco frigidissimo reponunt: alii in ædibus siccis, & editis, plane humoris expertibus, cum foliis lauri aridis sine juglandis involucro, sive in nova charta cõdunt. Sic etiam cæteræ pinguedines, & exungiæ sunt parandæ & reponendæ. Sunt autẽ permulti, qui in harum præparatione & ablutione salem in aquam conjiciunt, postea iterum in alia aqua sine sale abluunt, idque faciunt, ut mutetur cdor axungiarum & adipum, ac insipidæ remaneant. Nonnulli, dum eas recondunt, iterum aliquid salis aut Sacchari (secundum authoritatem luminaris majoris, in descriptione unguenti pectoralis) admiscent,

admiſcent, ne putreſcant aut rancidæ fiant. Porro autem ſiquis quęrat, poſſitne aliquod diſcrimẽ reperiri inter pinguedinem, & adipẽ, paucis reſpondebimus, dicẽtes: pinguedinem liquidiorem eſſe, quæ ſi ſemel diſſolvatur, non facilè, ubi liquata, vel diſſoluta fuerit, concreſcit, ac cogitur. Fit autẽ à ſanguinis parte magis oleoſa, eſtque maxime particeps igneæ & aëreæ ſubſtantiæ, & aquæ minime. Dum enim liqueſcit, nullũ crepitum edit, & in locis calidis animaliũ, quæ utrinque dentata ſunt, & cornibus carent, ut in hominibus, ſuibus, canibus, urſis, & ejuſdem generis pluribus gignitur, Adeps vero craſſior eſt, magiſq; terreſtris ſubſtantiæ: nam ſi calore diſſolvatur, vel fundatur, ſtatim concreſcit, celerrimeq; coit, ac conglaciatur, multumq; apparet pinguedine durior: & dum liqueſcit, crepitat. Gignitur autem maxime in partibus nimis calidis, & in animalibus, quibus cornua inſunt, & dentes in ſuperiori mãdibula deficiunt: cujuſmodi habẽtur boves, capræ, cervi, & arietes, & hujuſmodi plura. Sed (ut verum fateamur) in quacumq; parte gignatur pinguedo, & adeps, à frigiditate coaleſcere videtur, Hæc autem nomina

ſœpiſſimè

ſœpiſſimè apud probatos authores confunduntur.

RANAS VIVENTES] Quas Ranas intelligat non exponit auctor. Sunt enim varij generis ranæ: ſed rubetæ tamen videntur accipiendæ, cùm Galenus, lib. 7. de compoſit. medicã. ſecund. gen. capit. 12. & reliqui medici in acopis parãdis eas potius elegerint. Sed ſi non habentur majores ranæ, quas ipſe Galenus rubetas vocat; quæ in paludibus & aquoſis ſcrobibus degunt, accipiendæ ſunt. Et licet quæ in frutetis ſepibus & rubis degunt, videantur rejiciendæ, quia lethiferæ ſunt & venenatæ, ſecundum Dioſcoridis mentem: & quia tamen agitur hic de medicamento externo, non interno, nihil prohibet ſecundum Galeni mentem eas eligere.

LITHARGYRII AVRI.] Lithargyrium noſtrum uſitatum probatur foliatum, colore aureum, debétque à plumbo & ſcoria purgari, antequam aliquod emplaſtrũ ingrediatur. Quod facilè præſtare poteris, ſi ſubtiliſſimè in mortario, piſtillo friando ipſum contundas, deinde aquã deſuper infundas, & tunc quod fæculentum erit, cũ aqua in aliquod vas conjicias: deniq; id quod

in

in mortario remanet alia aqua infusa, eaque vehemẽtissimè agitata, cumque turbulenta exstiterit, cum præcedenti in idem vas refuderis, idque toties factitaveris, donec videas plumbum solum & fœces in mortario subsidere, omnemque subtiliorem substantiam cum aqua assumptam esse, quã quiescere permittes, quousque subsidere videas lithargyriũ, ac tum demum aquã guttatim effuderis & pulverem lithargyrij in fundo subsidentem acceperis, eámque paulatim & pedetentim super marmore duxeris, donec ita levigatum sentias, ut si eum manibus & digitis tractes, aut linguæ imponas, nullã prorsus asperitatem percipias. Atque ita parato lithargyro trito uti poteris in Emplastris & Vnguẽtis. Galenus de composit. medicamẽt. per genera in lotione lithargyrij, lavat illud secundum scopũ & effectum necessarium: videlicet si scopus sit desiccare, & non mordicare, licet illud cum aqua fontana æstate, diebus canicularibus lavare: si vero vis desiccare & mordicare, cum vino aut aceto: aliquãdo cum aqua maris Galenus id lavat. Sic autem & cœtera metalla, aut mineralia, quæ in Emplastris & Vnguentis apponuntur,

nuntur, ante uſum debent lavari in liquore proprio ſecundum ſcopum compoſitionis, & levigari. Sunt qui aliam rationem habent lithargyrij pręparandi. Sed hæc mihi facilior & uſitatior videtur. Quod ſi plura expetas ad lithargyrij præparationem, lege Meſuen lib. Servitoris.

Cęterum notabit Pharmacopola, cum ſimpliciter in deſcriptionibus Emplaſtrorum, & Vnguentorum leget lithargyrium, aureũ eſſe intelligendum, non quod fiat ex auro, ſed quia auri colorem referat. Quid autem ſit, & de generibus & illius electione, & uſtione infra dicemus, in Sectione 2. de unguentis cap. 2.

CAP. III.

Infrigidans Galeni.

℞. Ceræ albæ. ℥ j.
Olei roſati omph. ℥ iiij.

Et ſit radix olei oleum omphacinum aquæ fontium claræ, & proprie vehementis frigoris quantũ ſufficit. Oleum multoties & bene lavetur, lavationibus pluribus & quo magis elaboratur in lavando, fit excellẽtius. Vltimo vero concaſſetur cum aceto albo claro & pauco.

In

In diplomate ceram frustatim divisam, una cum oleo rosato, facto ex olivis immaturis, & rosis minime expensis, aqua frigidissima pluribus vicibus antequam rosas recipiat loto (quonam pacto lavari debeat, lege infra sect. 3. cap. 3.) liquefac, ut unum corpus sumant. Totum liquatū refrigerare permitte in vase aquæ frigidissimæ pleno: refrigeratum in mortario marmoreo cum aquæ fontanę, paulatim affusæ tanta copia, quam in se dum mollitur, ac subigitur, admittere potest, tere & agita: in fine vero parum aceti albi & clari ℥ ß. admisce: eoque recenter parato utere, ne vetustate calorem acquirat. Attendant autem Pharmacopœi, cum hoc ceratum ægrotis apponunt, ne id supra corpus dimittant tamdiu, donec calefiat: (ut docet Galenus lib. 11. meth. nisi aliter imperetur à medicis propter causas certas) sed continuo mutent: quod pauci hoc tempore advertunt.

CAP. IV.

Emplastrum Diachylum parvum D.M.

℞. Lithargyrii, ℥ vj.
Olei veteris clari, lib. 1.

Mucag.

Mucag. psyllii, ℥ iiij.
Mucag. hyoscyami, ℥ j ß.
Mucag. lini seminis,
Mucag. radicis malvæ, ana ℥ ij

Cujus operatio est sicut operatio alterius: hoc est qui antecedit, in lib. Mesuæ.

Sic emplastrum conficies. Accipe lithargyrium tritum,& pręparatum, ut in præcedenti emplastro Ioannis de Vigo docuimus, misce cum oleo prædicto in vase æreo, agitando spatio xij horarum ad minus: deinde igni lento exponatur, eousque dum coctione perveniat ad mellis crassitiem, & fundo vasis non adhæreat: hoc enim signum est incorporationis. Tunc ab igne auferes, & mucaginum prædictarum seminum & radicum, separatim factarum, & coctarum, simul mixtarum, partem aliquam, nempe ℥ iij in lithargyrium injicies, ac quam celerrime spatula agitabis, quousque subsideant: iterumque igni expones, donec ea injecta mucaginum quantitas consumpta videatur: deinde ut prius, reliquum mucaginum conficies, ab igne agitando: postea ad decentem consistētiam concoques, donec bullare & subsidere lithargyrium conspicias,

picias , quod ſignum eſt perfectæ con-
coctionis : denique refrigeſcere per-
mittes. Demum ℥ duarum magdaleo-
nes conficies , & loco convenienti re-
ſervabis. Quamquam tamen nonnullis
videretur ad uſum & ſcopum dicti em-
plaſtri emollientis , ſi tota mucago non
abſorbeatur coctione : nihilominus ne
manente mucagine humidius reddatur
emplaſtrum , & putredini obnoxium ,
deo voluit auctor integram eorũ con-
umptionem. Addit Galenus lib. 1. ſe-
undum genera initio emplaſtri aliquid
quæ claræ cum lithargyrio , ante-
uam coquatur : vultque emplaſtra al-
a fieri in loco claro , aperto , ſoleque
adiente: nam aër obſcurus reddit em-
laſtrum nigrum , ſed lucidus & clarus
naxime juvat ad albedinem : propor-
io autem aquæ & olei par erit, hoc eſt,
ſint lithargyrii ℥ vj. olei ℥ ix. toti-
em aquæ erunt ſumendæ.

Mucag. pſyllii.
Mucag. hyoſcyami.
Mucag. lini.
Mucag. radicis malvæ.] Mu-
agines ut conficias, ſic eſt operandum.
emina omnia exquiſite eliges , ſepa-
atimque ponderabis, ac leviter conte-
res

res dempto ſemine pſyllii, lini, & fœnugr. quæ nunquam conteri debent, niſi à medicis præſcribantur, quia abſque contritione mucaginē viſcoſum etiam cumulate reddunt: radices vero omnes electas & à terra repurgatas minutim conſcindes, ac in mortario lapideo cum piſtillo ligneo ad invicem conteres, per ſeque in fictilibus vaſis ſpatio duorum vel trium dierum ſuper ignem lentum ant potius ſuper cineres calidos in quantitate ſufficienti aquæ tepidæ macerari permittes, aliquando tamen ſpatula lignea movēdo, ne fictilibus inter macerandum & coquendum adhæreant, ſumendo videlicet pro una libra ſeminum aut radicū, aquæ tepidæ libras iiij. (non deſunt tamen qui mucagines quo ſint magis viſcoſæ, libram unam & ſemiſſem ſeminum aut radicū ſumant) deinde maceratione facta ſi tibi fortaſſe haud ſatis viſcoſæ & coctæ videantur, adhuc eodem igne coquendas relinques, donec perfectam coctionem fuerint aſſequutæ. Signum autem perfectæ & abſolutæ coctionis erit, cum aqua in ſeminibus & radicibus ipſis macerata non amplius aquæ, ſed viſcoſitatis illius, ut albuminis ovi retinuerit, aut

paulo

paulo plus: quinetiam ſi prædictæ macerationis pars frigido marmori velut in declivi impoſita lente & craſſe defluat, tum veræ & perfectæ coctionis earum indicia habebis: deinde coctione peracta intorquẽdo per ſe exprimi debent, quibus poſtea cum volueris tuto poteris uti. Ad mucaginẽ autem in hoc emplaſtro conficiendam, volui quantitatem ſeminum, radicum, & aquæ deſcribere, ne tironibus aut in arte parum verſatis erroris occaſionem præberem: ſumenda autem erit uncia una ſeminis pſyllii, ad uncias quatuor aquæ ad ſummum ſex, ſeminis hioſcyami ℥ iij. aquæ ℥ j ß. ſeminis lini & radicis malvæ ſylveſtris ana ℥ ß. aquæ vero ℥ iiij. Alii mucaginibus factis ex ſeminibus fœnugræci, lini, radicibus malvæ agreſtis, & ibiſci mucagines in hoc parando emplaſtro utuntur, ſed id fit propter diverſitates morborum. Verum hæc noſtra deſcriptio, quæ in uſu quotidiano eſt, recipit mucaginem factam ex ſemine pſyllii: ſed in mucagine pſyllii conficienda, minime ſemen contundi debet, ut paulo ante dictum eſt, cum medulla ſit calida & cortex frigidus, unde calidam, & frigidam

ſortitur

ſortitur facultatem ac qualitatem ſe-cundum Meſuæ mentem. Itaque cum in hoc non deſideretur calefaciendi ſed tantum molliendi cum levi refrige-ratione facultas, conteri minime de-bet, neque diu multo calore macerari, nec fortiter exprimi, ne ſubſtantia ca-lida foras extrahatur.

Cæterum in hoc emplaſtro confi-ciendo cavendum, ne ignis vehemen-tior fiat initio coctionis litargyrii, ne compoſitio nigreſcat aduſtione: ſed ignis augeri debet pro induſtrii phar-macopæi ſententia, ubi prima peracta eſt concoctio. Hoc præterea notandũ ſemen pſyllii intelligendum, ubi ſim-pliciter pſyllium legitur ſine aliqua ad-ditione.

CAP. V.

Emplaſtrum Diachylon magnum D.M.

℞. Lithargyrii mundi triti & cri-bellati, ℥ xij.
Olei Irini,
Olei Chamæmelini,
Olei Anethini, ana ℥ viij.
Mucag. ſeminis lini.
Mucag ficuum Ping.

Mucag.

Mucag. passularum,
Mucag. seminis fœnugræci,
Succi ireos radicis,
Succi Scyllæ,
Glutinis alchannæ,
Oesypi humidæ, ana ℥ xij. ß.
Terebinthinæ, ℥ iij.
Resinæ pini,
Ceræ Citrinæ, ana ℥ ij.
Conficiatur sicut diximus, hoc est, tali modo, quo usi sumus præcedenti, istud conficiatur.

Debet lithargyrium præparari, ut in prædictis emplastris monuimus. Nam cum præparatum ac coctum cum oleis fuerit, in id paulatim mucagines conjicies seminis lini, fœnugræci, ficuum, & passularum separatim & arte factas: quibus concoctis & cum lithargyrio consumptis, statim succum ireos & scyllæ injicies, & ad horum consumptionem decoques. Posthæc gluten alchannæ dissolutum, eo quo præscribemus modo, immittes: quod cum primum coctum & consumptum fuerit, cera minutim incisa injicienda erit, quæ postquam liquata fuerit, resinam pini confractam addes: qua liquata totum ab igne depones, & statim terebinthi-

nam, paulo post œsypum admiſcebis, e
eaque maſſa frigida magdaleones a
uſum conficies.

Mucag. ficuum Ping.

Mucag. paſſularum.] Ficus & paſſu
læ raras mucagines faciunt: ſed qui
earum decoctio inſpiſſata ad forma
ſyrei, hoc eſt, ſapę, mucaginis conſiſten
tiam obt[illegible]ns, vim habet emolliend
ſecundum ſcopum emplaſtri, ideo cum
mucaginibus & ſuccis lentis voluit au
ctor remiſceri.

Succi ſcyllæ.] Scylla debet eligi ſuffi
cientis magnitudinis, non admodum
magnæ, & enormis, bene habita, & nu
trita, alba, & recenter ex terra de
ſumpta, cum caulis & folia exacte arue
rint. Meſues illam cæteris præfert d
Simpl. lib. 2. capit. 6. quæ eſt ſapori
dulcis, acris, & amari, ſquammis depur
gata, in loco libero prope alias educata
Cum igitur triplices ei ſapores aſſigne
Meſues, vult illam triplici conſtare ſub
ſtantia, aërea ſcilicet, terreſtri & ignea
ab aërea dulcem, à terreſtri propter ad
uſtionem amaram, ab ignea, quæ maxi
me in ſuperficie eſt, acrem qualitatem
habere, ex illa autem ſuccus in hunc
modum extrahitur.

Scyl-

Scyllam, qualem jam descripsimus, lectã accipe, eamque cultello ligneo, el eburneo, corticibus purgatam, & icisam, in mortario lapideo, pistillo gneo fortiter contere,, non ferreo, t annotat Sylvius in illius præparatio- e: ubi optime contusa fuerit, in vase ctili clausa argillaque circumlita, in ibano modice calido, spatio sex ho- rum reponatnr, ut maxime caleat: osthæc in forti panno calido exprima- r. Verum non desunt qui ad succi yllæ præparationem diversis modis untur. At hæc ratio à nobis præscrip- , cæteris facilior ac præstantior exi- t. Ex unica autem succus supererit, ui ad hanc confectionem sufficiet.

Glutinis alchannæ.] Conficitur glu- n alchannæ sic. Accipe alchannam, u Icthyocollam, hoc est cetacei ven- em candidam, natione ponticã, suba- eram, minime scabram, & quæ ce- rrime liquescit (hæc Dioscorid. lib. 3. pit. 86.) eamq; in minutissimas partes vide, & in novo fictili repone, & de- per aquam claram infunde, donec vas pleatur pro ratione icthyocollæ, diu- e calide macerari sinito ante coctio- , nam non aliter dissolveretur, deinde

igni lento coquatur eousque, dum i
cremorem abierit, & cum refrigeratu
fuerit, ad similitudinem pultis consp
cietur.

OESYPI HUMIDÆ.] Oesy
pus lanarum ovium succidarum est pi
guedo. Diosc. cap. 7. lib. 2. Modus au
tem eam pręparandi talis est. Lanæ suc
cidæ ut ab ovibus. & arietibus, sumuntu
è collo, feminibus, & femoribus oviun
Harum accipe libras circiter 60. vel
quavis satis magna quantitate: & fe
venti aqua octo horarum spatio mac
ra, agitando, & commiscendo, spatu
la vel baculo rudi: deinde fac fervesc
re, donec omnem suam pinguedine
in aquam deposuerint. Deinde lana
fortiter expressam à decoctione rem
ve: tunc aquam pinguem & sordit
lanarum imbutam ex alto infundito i
aliud vas, multoties iterando, done
spumescat: tum spumam finito subsid
re, & aquæ innatantem pinguedine
collige, iterumque lava in aqua. Exa
gitetur donec rursus spumescat, tu
spumam ceu pingued. colligito: illud
tamdiu facito, donec aqua amplius nc
spumescat, semper colligēdo spuma
ceu pinguedinem, collectā vero in aq

pu

pura tandiu lavato, & manibus agitato, donec perluceat & linguæ admota nihil mordax habeat, ſed parum aſtringat. Quibus peractis pinguedinem in fictili denſo, loco frigido, ad uſum reponito. Sed hæc omnia fieri debent ſervido & æſtuante ſole. Servitor, & Præpoſitus in lavādo addunt parum aquæ marinæ, ut aqua magis ſpumeſcat.

Animadvertite porro Meſuen in hoc emplaſtro reſinā pini expetere, & eam intelligere, quæ è pino ſponte fluit, quæ quidem apud Præpoſitum raſa appellatur. Probatur autem ponderoſiſſima & picoſiſſima, verum de his reſinarum differentiis, ſatis abunde in ſequenti capite dicetur. Præterea maxime obſervandum, cum mucagines injicientur; tum enim lithargyrus ab igne auferri debet, quod maxime notandum, ne repentino novarum rerum contactu exundet.

CAP. VI.

Emplaſtrum Gratia Dei Præpoſiti.

℞. Terebinthinæ, lib. ß.
Reſinæ lib. I.
Ceræ albæ, ℥ iiij.

 Maſtiches,

Maſtiches, ℥ j.
Foliorum verbenæ,
Foliorum betonicæ.
Foliorum pimpinellæ, ana M. j.

Herbę piſtētur, & vino forti bullia[nt] uſque ad conſumptionem tertiæ part[is] colentur, & inde ſubſtantia herbaru[m] abjiciatnr, & cera, reſina, & maſtic[h] cum colatura ponātur, nec non bullia[nt] agitando, donec optime incorporentu[r] tunc deponantur ab igne, & addatur t[e]rebinthina, totumque agitetur cum ſp[a]tula, & fiat emplaſtrum.

Virides herbæ præſcriptæ & præcipu[e] earum ſummitates, loco temporequ[e] convenieti, legi debēt, nec lavari: dei[n]de incidi, & in mortario lapideo, piſtill[o] ligneo contundi. Poſthæc in vino rubr[o] quam optimo & odorifero (eo quo[d] vulneribus & ulceribus magis conveni[t] quo Hyppocrates in lib. de vulneribu[s] & fracturis frequenter utitur, Galenu[s] in lib. ſecund. gen. in coctione herba[rum] emplaſtra ingredientium) quanti[tate] ſufficienti ad partis tertiæ con[ſumptionem] decoqui: quæ cum deco[cta] fuerint, parumper infundi permit[te]re, ut tota facultas cum vino, in quo de[coctæ] fuerint, remaneat. Deinde ad[huc]

huc

huc calidæ colentur, maſſaque herbarum abjiciatur. In colatum ceram minutim inciſam adjicies, & una cum decoctione concoques igne lento, ſpatula aſſidue movendo, ad humidi vel colati conſumptionem: qua humiditate exhauſta, reſinam confractam, ut liqueſcat cito, addes: qua liquata, & ab igne ſemota, terebinthinam, ut diſſolvatur, admiſcebis, cumque omnino tepuerit, & refrigeratum fuerit, maſtichen quam tenuiſſime pulveriſatum deſuper inſperges, manibus tractando. Hac enim methodo fortior erit ipſius emplaſtri operatio, neque coctione corrumpetur, cum ordo ſimplicium decoctionis diligenter obſervatus fuerit: quod Præpoſitus non advertit. Proinde maximo ingenio, ſummaque induſtria uti debemus in hujus emplaſtri confectione, ut veram & legitimam inveniamus methodum. Hic enim modus à Præpoſito confuſus, pace tanti viri dixerim, nobis videtur. Vult ſiquidem ceram, maſtichen, reſinam, terebinthinam omneſque herbas ſine diſtinctione poni & ordinis nota, quod ſane abſurdum videtur. Novit profecto Præpoſitus terebinthinam,

resinam, & mastichem nullam penitus sustinere decoctionem propter essentiæ tenuitatem: ceram vero majorem propter suæ substantiæ crassitiem. Quare quantum in nobis situm fuit, voluimus verum conficiendi modum hic describere, ne medicamentum ita coctum corrumpatur, & illus operationis proprietas minuatur.

Cera, & Propulis quid?.

CERÆ ALBÆ.] Hoc in loco ceram naturaliter albam, & ponticam, acrimonia carentem intelligit Præpositus: vel illam quæ ex novis favis separatur, vel quæ præ foribus aut præ spiraculis alveariorum reperitur, artificio dealbata & acrimonia spoliata, & ab apiariis, & aliis, à quibusdam modernis authoribus cera virginea appellatur. Ab antiquis verò propolis dicitur ea. Probatur autem propolis antiquorum flava, odore styracem referens & in vehementi ariditate mollis, & mastiches in modum ductilis. Quam si habere non possumus, utendum erit pro illa nostra factitia alba, quæ pluribus lotionibus præparata est, & quæ acrimoniam à melle contractam deperdidit, ut Gale-

no placet lib. 2. ſimpl. capit. 15. Tandem vero inquirendum erit, utrum propolis idem ſit, quod cera virginea alba: quod equidem nõ puto. Abluitur autem propolis antiquorum, ceu cera virginea modernorum ſecundum Galenum loco prius citato, hunc in modum. Primum modice calefactam ceram in aquam puriſſimam modice calidam infundito: deinde conterito, tundito, frangito, manibuſque impenſe ſubigito, deinde ceram refrigerato, cum priori aqua effuſa rurſum calefacito, & in aliam aquam calidam atque ſinceram injicito, rurſumque diutiſſime contundito, donec acrem qualitatem ſuam in aqua depoſuerit, quod guſtu cognöſces. Mox vero & tertio, & quarto ſæpius idem faciendum, donec aqua ex abluta cera qualitatem mordacem recipiat: ac ita ceram ad uſum paratam habebis. In hoc autem medicamine, ac in cœteris quæ vulnera ſolidant, glutinant, & repurgant, inflammationeſque leniunt omnis mordacicatis expers, & quæ acri thymoſoque melle conficiatur, cera eſt utenda, teſte Galeno 4. ſimpl. capit. 5. Idcirco eo modo in hoc lavanda eſt, reſina, pix, & oleum (ſi defiderantur) ut ſi

aliquid in iis mordacitatis ſit, auferatur, & præcipue in emplaſtris, ceratis & unguentis, quæ habent facultatem olidan di & glutinandi.

CAP. VII.

Emplaſtra de janua, ſeu de Betonica Præpoſiti.

℞. Succi Betonicæ,
Succi plantaginis,
Succi apij, ana lib. j.
Ceræ,
Picis.
Reſinæ,
Terebinthinæ, ana lib. ß.
Fiat Emplaſtrum.

Etſi nullam formam, aut methodum, in hoc conficiendo emplaſtro Præpoſitus præſcripſerit: tamen quo hodie ſœpiſſime præparetur modo, ſecundum omnes fere omnium Pharmacopeos, indicabo. Accipiunt betonicæ, plantaginis, ſingulorum æquale pondus, apij vero non ad cæterorum proportionem, verum cætera pondere ſuperat omnia. Tundunt deinde cum cera inciſa, pice reſina confracta, & terebinthina in lebetem injiciunt ut ſimul coquantur, donec

nec nulla ſuperſit humiditas, vel dònec herbæ coctione aruerint : quæ cocta dũ maxime calẽt, torquendo exprimunt, & inde magdaleones formant. Hicq; modus hodie fere ab omnibus Pharmacopeis approbatur. Qui modus à vero mihi videtur recedere, ſed cur ita parant, hæc illorum ratio eſt. Volunt reſinam, picem, & terebinthinam colorem viridem retinere, ideo magis expetunt vires quorundam ſimplicium deperdi, quam ipſum colorem viridem. quod quidem abſurdum non eſſet, conſuleremque ita componi, ſi modo vis picis, reſinæ, & terebinthinæ non deperderetur : ac ſi etiam legitima proportio herbarum ad lib. j. ſucci acciperetur. Quapropter ne pharmacopola ignoret confectionis hujuſce emplaſtri methodum veram, volui verum modum hic præſcribere.

Accipe foliorum betonicæ recentium, loco & tempore collectorum, eam quantitatem, ex qua poſſis ſucci libram unam habere: in mortario lapideo piſtillo ligneo tunde : deinde fortiter ſuccum intorquendo extrahe: ſimiliter facies de plantagine, & apio, ſuccum ſingulorum exprimendo. Quorum ſuc-

corum non defecatorum accipies ſingulorum libram unam ſecundum auctoris deſcriptionem, ceramque minutim conciſam cum ſuccis in lebetem conjicies, & igne lento concoques ad humidi conſumptionem, dum ex tribus libris, una remaneat. Tunc picem, & reſinam confractam injicies, & concoques ad alteram humidi peremptionem, deinde colabis, ut ſi aliquid fuerit arenoſitatis in pice, & reſina, auferatur: poſtea terebinthinam diſſolve, omnia ſimul ſpatula lignea movendo. Deinde maſſam finge, ex qua frigefacta magdaleones ad uſum formabis. Sed objiciet quiſpiam hoc emplaſtrum peccare in colore. quid tum poſtea, modo vis ſimplicium tota remaneat in medicamento, & coctione non corrumpatur? in hoc enim non eſt neceſſarius color viridis, ſed detergendi, & deſiccandi facultas. Igitur quicumque parare vult emplaſtrum, nullo modo curare debet quo colore ſit, dummodo vires obtineat, quas Galenus libr. de compoſit. medicament. ſecundum genera vult ipſum obtinere. Cœterum notandum ſi methodum à nobis præſcriptam ſequaris, terebinthinæ doſin ali-

qua

qua ex parte minuendam eſſe, quod cerati potius quam emplaſtri formam & conſiſtentiam retineat, ſufficientque tantum ℥ ij. ſi autem veterem conficiendi methodum pharmacopœorum more retinendam putes, terebinthinæ procul dubio doſis nulla ratione erit minuenda, quod nimirũ coctione craſſeſcat. Adhæc præterea notabis, alias valentiores formas à Vigone deſcribi, ſub nomine de betonica capite de ulceribus capitis, quæ magis merentur dici de betonica quam præſens emplaſtrum.

CAP. VIII.

Emplaſtrum Ceroma ceu Ceroneũ Nic. Alex.

℞. Picis,
Ceræ, ana ℥ vij.
Sagapeni, ℥ vj.
Ammoniaci,
Terebinthinæ,
Colophoniæ,
Croci ana ℥ iiij.
Aloes,
Thuris Maſc.
Mirrhæ, ana ℥ iij.
Styracis calamit.

Mastiches,
Oppopanacis,
Galbani,
Aluminis,
Fœnugræci, ana ℥ ij.
Confitæ, ceu Styracis liquidæ
Bdellii, ana ℥ j.
Lithargyrii, ℥ ß. Fiat: Emp.

Ceram in frustula concisam, ut liquescat, igni levi appone: qua liquata mox picem colatam, & colophoniam confractam injice, movendo spatula lignea, & cum cera ab igne deposita fuerit, gummi quæ pulverisari nequeunt, ut sagapenum, ammoniacum, galbanum & bdellium (si molle sit, si vero aridum aut siccum, ponantur post mirrham) in vino, vel aceto fortissimo per se imbuta & soluta, & separatim cocta (ut in præcedenti capite docuimus) cum terebinthina, confita, & styrace incorporentur: quæ incorporata, cum præcedentibus liquatis ac modice calidis commisce, desuper cum omnino tepuerit, cœtera simplicia optime & seorsim levigata, trita, ac cribrata, ut lithargyrium (vult Alexandrinus illam prius cum oleo coqui) fœnugræcum, alumen, mirrham, olibanum, mastichen, aloen, insperge,

inſperge, ac cum ſpatula lignea velociter agitando conjunge. Paulo poſt crocum juxta artem levigatum exactiſſime dicta ſpatula tractando commiſce. Quibus omnibus diligenter commixtis ſuper marmore manibus oleo laurino perunctis magdaleones formentur. In hoc emplaſtro conficiendo maxime cavendum eſt, ne prædicti pulveres aridorum in emplaſtro calido adhibeantur, ne in grumos abeant. Cœterum Alexandrinus ſimpliciter & ſine ulla additione, ſcribit picem. Pix autem hoc in loco navalis ſumi debet, aut ejus loco noſtra nigra factitia. Cum reperitur ſcriptum picis ſimpliciter, & ſine ulla additione, liquidam eſſe intelligendam. Verum cum hoc diximus, ſolum eam in compoſitionibus Præpoſiti uſurpandam intelligas, & præcipue in emplaſtris & unguentis, quæ ad maturandũ & mundificandum valent. Proinde admonitos Pharmacopeos cupio, Præpoſitum hoc emplaſtrum præſcribere, & in ſimplicibus cum Alexandrino convenire, in ponderibus vero minime, ut ſupputavit: hæc Alexandrini deſcriptio pondere ſimplici conſtat: Præpoſitus pondus triplicat, in qui-

buſdam

busdam tamen parum. Præterea in methodo conficiendi Alexandrinus de croco nullam mentionem facit, quamvis in sua descriptione scripserit. Quare qui hanc compositionem aggredi volet, non secundum Alexandrini modum componat, sed secundum nostrum à nobis descriptum.

CAP. IX.

Emplastrum Oxycrocium Myrepsii.

℞. Croci,
Zopissæ, id est, Resinæ teste Myrep.
Colophoniæ,
Ceræ Cit: Singul. ℥ ij.
Terebinthinæ,
Galbani,
Ammoniaci,
Thuris,
Myrrhæ,
Mastiches. Singul. ℥ j ß.

Galbanum & Ammoniacum aliquantulum contusa conjice in modicum acetum per totam noctem fervefacta, & eliquata, per saccũ ex tenui linteo factũ colato coquantur iterum, donec pars aceti consumatur. Dein dissolutam zopissam & colatã injicito, adjecta cera: ac

dissolvens

dissolvens omnia simul adjice colophoniam: & deinceps terebinthinam: post mastichen myrrham & thus: deinde funde super marmor, & croco in pulverem trito insperso ipsum subigito.

CAP. X.

Emplastrum Tripharmacum Mesuæ.

℞. Lithargyrii triti sicut alcooch, Par. j.
Aceti vini fortissimi, Par. j.
Olei antiqui, Par. ij.

Coquantur cum facilitate, usque dum fiat ejus spissitudo, & administretur.

Electum, præparatum & elaboratum (ut in præcedentibus emplastris docuimus) accipiatur lithargyrium, una cum oleo spatio xij horarum nutriatur, lentoque igne semper spatula lignea movendo coquatur, donec crassescat: quo cocto statim aceti mediam partem paulatim affundendo in id injicies, videlicet extra ignem, ne (ut superius docuimus) recentium rerum contactu exundet. Rursusque igni lithargyrium appones, & ad aceti consumptionem concoques: quo consumpto, alteram partem aceti, quæ restat, eodem modo injicies, paulatim lithargyrio ab igne remoto.

remoto. Deinde ad decentem concoctionem percoques, videlicet ad electuarii solidi formam, vel quousque fundo vasis non adhæreat, & digito tractando non coinquinet, quod sane perfectæ coctionis signum est: coctum autem & in hunc modum paratum ad usum repones. Vnum hic ab omnibus diligenter notandum venit, lithargyrium nempe, quod hoc emplastrum ingreditur, debere aqua rosacea lavari sine aliquo dubio, & loco veteris olei rosaceum immaturum sumendum, quia pares vires & facultates sortitur, ut emplastrum de cerusa. Cum itaque hæc duo pares habeant effectus, & unum alterius loco sumatur, non erit alienum in hoc simplicia præparare, quemadmodum in emplastro de cerusa paravimus. Christophorus de honestis in expositione hujus emplastri eadem distinctione XI. sic inquit. Emplastrum de cerusa quibuscumq; malis complexionibus calidis, factis à caliditate solis &c. convenit. Pariter istud Tripharmacum confert ulceribus, quibus conjunguntur mala complexio calida &c. Quare si hoc emplastrum omnibus dispositionibus confert, quibus unguentum de ce-

rusa

rusa coctum, & si etiam in eo lavetur cerusa in aqua rosacea, & loco olei communis oleum rosatum immaturum sumatur, cur in isto lithargyrium eodem & simili modo non parabitur, cur etiam oleum antiquum in rosaceum immaturum non transmutabitur? Præterea notandum apud Galenum cap. 3. lib. 1. secundum genera, hujusce emplastri varias esse conficiendi formas, pro intentione varia, & scopi differentia. Interdum cum veteri & communi oleo, interdum oleo communi & aceto, ad duplam lithargyrii portionem: variat etiam apud eundem concoctionis modus, & quantitas. Ex iisdem materialibus crudis fit unguentum, quod nutritum Chirurgi vocant, ad inflammationes & erysipelata commodum.

CAP. XI.

Emplastrum Palmeum seu Diachaciteos.

℞. Olei veteris, lib.iij.
Axungiæ veteris sine sale, lib. ij.
Lithargyrii triti sicut alcooch, lib. iij.
Vitrioli, ℥ iiij.

Confi-

Conficiatur ſic. Oleum & axungi
mittantur in ſtagnato ſupra ignem, &
liquefiant. Deinde addatur lithargyriũ
& vitriolum, & ducantur continue cum
tribus ramis palmæ, & accipe unum ra-
mum palmarum minutim inciſum, &
intromittatur, & tamdiu bulliat ſuper
ignem lentum factum de lignis ſiccis,
donec inflammetur, & redeat ad ſuum
ſtatum, & inſpiſſetur, & denſitatem
habeat.

In lebete amplo lithargyrium præ-
paratum & oleũ, horarum xij ſpatio, ut
ſimul nutriantur, impones. Poſtea igni
lento, & leni, ne nigreſcat aut uratur, ad
craſſitiem concoques. Tum pinguedinē
injicies, perpetuo & ſine mora, ſpatula
palmea, aut phœnicea eadem die ab-
ſciſſa, quo pharmacum conficietur, alio-
qui prius exciſa ſuccũ amittit, vel illius
loco radice cannæ, vel ſaligno ramo,
vel quercino, vel meſpillino aut ejus ar-
boris ramulo, quæ aſtringendi vim im-
modicam habeat. Quibus ad perfectam
concoctionem decoctis, ab igneq; de-
poſitis, & parum refrigeratis vitriolum
romanum ceu album pulveriſatum, ut
liqueſcat, injicies: quo liquato & om-
nibus refrigeratis magdaleones finge.

Alii

Alii liquore convenienti vitriolum diſſolvunt, & in lithargyrio cocto & extra ignem admoto paulatim affundunt, & ut mucagines coquunt: deinde ab igne deponunt, & eo tepefacto magdaleones ad uſum conſtituunt. Animadvertendum erit inter coquendum, ut humiditas naturalis ſpatulæ in lithargyrio remaneat, & omnino cum eo conſumatur. Itaque dum diutius coquetur lithargyrium, videbiſque extremitatem ſpatulæ deſiccari, illa pars ſicca præſcindi debet ad humidum uſque, ut nova ſpatula movendo novus ſuccus reddatur in lithargyrio, idque ſœpius repetendum erit, donec multis ejectis taleolis ſpatula pro brevitate inutilis derelinquatur, & ſuccum humoremque ſpatulæ ſæpius renovatæ lithargyrium retineat. Permulti iſtud medicamentum componunt, ſcilicet ex lithargyrii lib iij. Olei veteris & axungiæ porcinæ æquis partibus, Vitrioli ℥ iiij. Alii vero ſine oleo lithargyrium æqua cum porci axungia portione, & vitrioli ℥ iiij. perficiunt. Verum (ut quod veriſſimum eſt notum ſit) prima deſcriptio cœteris omnibus antecellit) ſive à Meſue ſive à Galeno ſit li-

teris

teris tradita) & in officinis magis est usitata, quia certa videtur proportio olei & axungiæ ad nutriendum, & coquendum lithargyrium, ut experti sumus.

CAP. XII.

Emplastrum contra rupturam, seu de pelle arietina, Præpositi ex 6 particula lib. 2.

℞. Picis navalis vel Calceariorum,
Aloes, ana ℥ iij.
Lithargyrii aurei,
Ceræ rubeæ,
Colophoniæ,
Galbani,
Ammoniaci, ana ℥ ij.
Visci quercini, ℥ vj.
Gipsi usti,
Vtriusque aristolochię, ana ℥ iiij.
Myrrhæ,
Thuris masc. ana ℥ vj.
Terebinthinæ, ℥ ij.
Ysculi, seu vermium terrestrium in vino austero lotorum, & exsiccatorum.
Gallarum, non perforat: sed viridium.
Vtriusque consolidæ,

Boli

Boli armeniæ, ana ℥ iiij.
Sanguinis humani, lib. j.

Antequam methodũ hujuſce emplaſtri aggrediamur, notandum erit, quantitatem picis, ceræ, & colophoniæ, tum & gummi diſſoluta, & cocta, viſcum & bitumen pellis, quæ omnia corpus emplaſtri hujus faciunt, minime ſufficere ad emplaſtri conſiſtentiam, & craſſitiẽ, quam ligationem appellamus, niſi pondus ceræ & terebinthinæ augeatur: vel ſi illorum pondus nolis augere, addenda eſt lib. j. aut ℥ ix olei, convenientis effectui emplaſtri: vel olei loco poteris addere lib. ß. vel ℥ ix ad ſummum, unguenti Comitiſſæ, quod maxime mihi videtur ad hujus unguenti naturam & proprietatem accedere. Quod ſi neque pondus prædictorum augeamus, aut nihil olei, vel unguenti addamus, ſucceſſu temporis emplaſtrũ nullam conſiſtentiam aut corpus habebit, ſed potius formam pulveris, ut multoties expertus ſum. Quare conſulerem ut hac ſequenti methodo componeretur, valde enim emplaſtica & methodica eſt.

Integram arietis pellem, ſtatim ubi ipſa ab ariete divellitur, accipere convenit, eamque in minutiſſimas partes dividere,

dividere, & in lib. circiter 100. aquæ pluvialis & aceti, diutissime coquere, donec maneant tantum pili. Tunc totum decoctum calidum intorqueatur & exprimatur. Expressionis ipsius quantitas sufficiens refrigerata in gelatinæ, aut bituminis modum condensata (quod erit signum perfectæ coctionis, & dissolutionis ad pulveres congregandos & incorporandos) accipiatur, in quo dissolve viscum quercinum præparatum: quo dissoluto totum igni levi appones: & statim ceram minutim concisam, ut liquefiat, cõjicies: deinde picem frustulatim divisam pariter, ut liquefiat, impones. His omnibus liquatis, & ab igne depositis, & parum refrigeratis, lib. ß. adsummum ℥ ix. unguenti Comitissæ commiscebis, ad ligationem. Paulo post galbanum, & ammoniacum seorsim vino austero dissolutum (vult Guido in aceto dissolvi) & coctum, una cum terebinthina incorporatum, spatula tamen movendo, conjunges (modus autem solutionis ac coctionis, satis à nobis hac Sect. capit. 9. explicatus fuit) desuper simplicia arida separatim & tenuissime pulverisata & cribrata ordine & hac methodo sequenti insperges, ut lithar-

gyrium

gyrium præparatum , gypſum, bolum
rmenam cum aqua roſacea vel plan-
agine lotam , ariſtolochiam & utram-
que conſolidam , yſculos præparatos,
anguinem humanum optime collectũ.
Vltimo vero myrrham , thus, colopho-
iam, & aloen: agitabiſq; ſimul omnia
ne ulla intermiſſione cũ ſpatula, eouſq;
um ſint ſubacta & mixta omnia. Inſu-
er ſpatio unius diei, ut exactior fiat in-
orporatio & permixtio , in mortario
um piſtillo mediocriter calido maſ-
am tractabis, Peracta autem agitatio-
e & tractatione , manibus oleo viola-
eo unctis, ſuper marmore oleo eodem
ncto, magdaleones formabis , quos ad
ſum ſervabis.

COLOPHONIÆ.] Colophoniæ
ro reſinarum ratione, ex quibus confi-
itur, variæ ſunt ſpecies, unde alia can-
ida, alia mollis, crudaque eſt , a pineo
el piceo caudice emanans , & olei co-
orem referens. Pinguis , quæ vera eſt
olophonia , olim ad nos ex colophone
oniæ urbe, unde nomen ſumpſit, defe-
ebatur. Alia ſicca , cocta ſive fricta,
ucida, quæ nihil aliud eſt, quam fex
iſtillatæ terebinthinæ, aut terebinthi-
a arte in hunc modum cocta, videli-

cet ex partibus duabus terebinthinæ, c
parte una aquæ pluvialis, quæ hodie i
officinis noſtris colophonia cognomi
nata eſt. Sed quia vera deſideratur, eju
inopia priore utimur, quæ probatur lu
cida, levis, odorata, calculorum exper:
Si plura deſideras, poteris Dioſc. lib. 1
cap. 78. legere, ubi agitur de pice.

VISCI QVERCINI.] Viſcus per ſ
nō eſt arbor, ſed in arboribus vivit, præ
cipue in quercu, ſudorq; arboribus dic
tur. Gignitur quoque in malo, piro, &
pleriſque aliis arboribus: quin etiam i
quorundam fructuum radicibus. Fitqu
pluribus ac diverſis modis, verum præ
ſtantiſſimus ſecundum Dioſc. lib. 3. cap
87. eſt, qui è granis in quercu naſcenti-
bus extrahitur, & probatur recens, in-
tus porraceus, extra fulvus, ſine cortice
leviſſimus, qui nihil aſperi furfuroſiqu
conceperit, & ille ſumendus eſt, in om-
nibus compoſitionibus, quæ immodi-
cam virtutem habent aſtringendi.

GYPSI VSTI.] Lutetiana urbs no-
ſtra maxime gypſo abundat, ibiq; com-
mode, & frequenter nativum ſeu cru-
dum eruitur, deinde coctum ad ædificia
fabricanda expetitur. Albertus Magnus
vult quaſi extremitatem lapidis ſpecu-
laris

laris esse: alii genus lapidis similis nitro habentis venas latas, esse. Res admodum cognata est calci, non tamen ita est calidum, differtque à calce: nam calx restincta humore aliquo non oleaginoso acquirit calorem, gypsum vero restinctum non accenditur, neque calet. Est autem gypsum duplex. Vnum quod dicitur asini speculum, squamosum, & lucidum: aliud concretum non squamosum, neque lucidum. Præstantissimum est recens, lucidum non diu asservatum, post coctionem aquæ immistum ægre lapidescit ac coit. Vritur autem sic.

Gypsum lucidum squamosum & integrum accipito, & in crucibolo, fusorioque furno, ubi sint carbones accensi circumcirca imponito, ignẽ continuando, eousque dum peralbum nivis modo deveniat, leve, ac friabile, & si digitis moveatur, in pollinem abeat: hoc enim modo ad usum dictum id accipiendum. Hactenus de Gypso. Plura Plinius lib. 36. cap. 24. & Georgius Agricola lib. 5. fossilium genera multa annumerat.

SANGVINIS HVMANI.] Præpositus in hoc emplastro sanguinem humanum requirit, qui sententia plurimorum

eligi debet ab homine, qui à vigesim
quinto anno ad trigesimum accedat
qui uxorem non duxerit, nec rem cu
ulla habuerit, nec obnoxius sit morbis
qui in lætitia vixerit absque ebrietate
seque exercuerit in equorum agitatio
ne, aut in pila palmaria (si talem re
perire possis) non autem ex homin
ruffo, ut plurimi sentiunt, cum tem
peramento is sit magis bilioso, & me
lancholico: talis enim sanguis minim
idoneus est facileque putrescit. Qui
verò, si nullo pacto talis possit reperiri
nec ab homine ruffo & temperato, u
sufficiat ad compositionem? Censerem
ubi sanguis deficit, suillum sumendum
Galeni authoritate lib 10. Simpl. capit
1. ubi de sanguine dicit, sanguinem in-
telligendum esse animalis secundum
naturam se habentis, alterius verò san-
guinem humore aliquo mixtum esse
qui quovis tempore facile ad manum
haberi potest: cum etiam ex Galeno
lib. 10. Simpl. capit. 2. maxime tem-
perie sit humano similis. Probatque Ga-
lenus eos, qui sanguinis humani loco in
morbis suillum commendant. Cujus
sententiæ Avicenna libro secundo tra-
ctatu 2. capite 610 astipulatur, dicens,
in

in omni re ſanguinem humanum & ſuillum ſimilem eſſe. Alij autem recentiores medici bovillum fibroſum ad aſtrictionis ſcopum potius aſſumunt, quod revera melior propter aſtrictionem ſit. Hactenus de ſanguine humano. Nunc ad illius collectionem accedamus. Accipiatur ſanguis humanus ex homine boni habitus, beneque temperati, & medius fluens, quia tenuior eſt: in olla ictili bene cocta & plumbata, in qua quieverit & incocta fuerit aliquot horis aqua pura, & ſincera, ut odor terreſtris deperdatur, vel ſi mavis vaſe vitreo excipiatur, & linteolo raro contegatur, ſolique, eouſque dum ſiccum ſit, exponatur.

CAP. XIII.

Emplaſtrum de granis Lauri, ex diſt. XI. Meſuæ de unguentis & emplaſtris Vſuale.

℞. Olibani,
Maſtiches,
Myrrhæ, ana ℥ iiij.
Granorum lauri, ℥ viij.
Cyperi,
Coſti, ana ℥ ij.

Mellis colati quantum ſufficit ad aggregandum: & extendatur in panno: & calidum ſuperponatur, ubi oportet. Si autem triplicatur in eo cyperum, & ponatur de ſtercore caprarum, aut vaccarum ſicco ad pondus omnium, invenitur mirabile ad hydropiſin.

Per anguſtiſſimum cribrum hæc omnia electa, ſecundum veram illorum electionem, in tenuiſſimum pulverem ſeparatim tundito, & cribrato, deinde cum ſufficienti quantitate mellis optimi crudi non autem cocti (quia mel nuſquam in emplaſtris & ceratis coqui debet propter tenacitatem) ſed modice calidi excipiantur: dempto olibano maſtiche & myrrha, quæ cum maſſa tota frigida fuerit ſimul permiſceantur: & magdaleones ad uſum formentur.

Verum in conficiendo hoc aggregat. caveat myropola ſimplicia iſta ſcilicet myrrham, maſtichen, & olibanum melle calido inſpergere, & conjungere, ne in grumos abeat.

STERCORIS CAPRARVM AVT VACCARVM.] Caprarum ſilveſtrium juvenum pilulas recentes, cum herbas pabulantur, tempore veris excipe, & in

n paropſide munda linteolo coopertæ
ad ſiccandum ſoli expone: deſiccatæ
neceſſitati ſerventur. Sic humidum &
recens ſtercus vaccinum, cum vaccæ
depaſcuntur herbas vere (propter mol-
lificationem & reſolutionem) accipito
& in diſco terreo, linteolo cooperto,
ſub dio exponito, quouſque arefactum
ſit: arefactum ad uſum condito.

CAP. XIV.

Emplaſtrum de Mucaginibus.

℞. Mucag. ſeminis lini,
Mucag. radicum altheæ,
Mucag. ſeminis fœnugræci,
Mucag. mediani corticis ulmi,
ana ℥ iiij ß.
Oleorum liliacei,
Chamæmelini,
Anethini, ana ℥ j ß.
Ammoniaci,
Galbani,
Opopanacis,
Sagapeni, ana ℥ ß.
Croci, ʒ ij.
Ceræ novæ Cit. lib. j ℥ viij.
Terebinthinæ, ℥ ij.
Fiat Emplaſtrum.

Vt ſuperiori hujuſce Sectionis capite 5. docuimus, portionem radicum, ſeminum, aquæ, ad infuſionem, ut ab his mucagines extrahantur, ſimili modo quantitas mucaginum huic emplaſtro præſcripta extrahi debet: deinde extracta una cum oleo liliaceo chamæmelino, anethino, & cera fruſtatim ſecta & cum oleis liquata ad eorum fere conſumptionem incoqui, ſpatula lignea inter coquendum, ne vrantur, celerrime agitari debent: quantitate autem conſumpta, totumque ab igne ſemotum, fortiter agitetur, donec omnino intepidetur. Tunc quatuor gummi genera decocto chamæmeli meliloti aut aceto vel vino per ſe ſoluta, coctaque, non ad naturalis humidi, ſed ad decocti vel aceti, aut vini peremptionem, & cum quantitate terebinthinæ hic deſcripta incorporentur. Demum crocum optime pulveriſatum abſque ulla miſtione (quia aliquando ſolent Pharmacopolæ tyrones amygdalas decorticatas ad colorãdũ & ad pondus augendum ponere) in medicamine ita parato adiunges, magdaleoneſque ad uſum effinges. Alij cum magdaleones effingunt, ſuper marmore crocum aſpergunt, quod minime approbo.

CAP.

CAP. XV.

Emplastrum de Minio Ioannis Vigonis.

℞. Olei rosati,
Olei myrtini simpl.
Vnguenti populei, ana ℥ iiij.
Pinguedinis gallinæ, ℥ ij.
Sepi castrati,
Sepi vaccini, ana ℥ vj.
Pinguedinis porcinæ. ℥ vij.
Vtriusque lithargyrij, añ. ℥ iij ß.
Cerusæ lotæ ℥ iiij.
Minij, ℥ iij.

Bulliant omnia simul baculo agitando lento igne, donec acquirant colorē nigrum, quo facto ignem fortificando, iterum bulliant per dimidium horæ: deinde addantur

Terebinthinæ clariss. ℥ iiij.
Ceræ albæ quantum sufficit.

Et iterum bulliendo fiat ceratū molle.

Summa diligentia separatim utrumque lithargyrium, cerusa & minium ducantur super porphyrium, quousque optimam levigationem, quemadmodum superioribus emplastris docuimus, adepta sint, interdum molula movendo, liquoreque compositioni con-

venienti aſperſo, ut facillime in tenuiſſimum pulverem abeant. Liquor autem aqua roſacea erit. Deinde optime levigata, una cum oleo roſaceo, myrtino ſpatula lignea ad nutritionem in lebete amplo tractentur & ſuper prunas leves indeſinenter ſpatula agitando coquantur, donec parum concreſcant, & in compagem abeant. Mox pinguedinem porci & gallinæ injicies & percoques eouſque dum coctio ſit in formam cerati & nigreſcere videatur. Tunc ſepum caſtratum, & vaccinum confractum ſimul, ut liqueſcant, impones. Quibus liquatis & ab igne depoſitis, populeonis unguentum conjunges, paulo poſt terebinthinam permiſcebis, hiſque omnibus ſimul mixtis, manibus tractando & verſando magdaleones formabis. Inſuper ſi ceram in hoc emplaſtro placet addere, ea quamvis non ſit opus, poteris fruſtatim inciſam addere, poſtquam mineralia abierint in compagem, aut ad mellis craſſitiem.

MINII.] Diverſa apud auctores omnes de Minio eſt opinio. Nos quid ſentiant, hic narrabimus. Alii idem cum Cinnabari eſſe volunt. Dioſcorides cap. 69. lib. 5. diverſum quid à cinnabari eſſe

vult, his verbis. Hallucinantur qui Cinabarim Minio eandem esse existimant, verum nullas illorum adfert differentias, nisi ratione loci, nec eorum naturam explicat, dicit enim minium in Hispaniis ex quodam lapide argenteæ arenæ permixto temperari solere, alioqui non dignosci: fornacibus vero in florentissimum & fragrantissimum colorem permutari: in metallis strangulantem halitum eructare, ob idque incolas faciem vesicis obvelare, ne eo halitu infestentur: eoque pictores uti ad sumptuosa parietum ornamenta. Cinnabarim vero ex Ægypto deferri, & magno constare: atque hactenus inveniri, ut versicoloribus pictorum lineis satisfaciat, & hinc quosdam existimasse, sanguinem esse draconis, vimque habere eandem cum hæmatite lapillo: hæc Dioscorides. Quid vero sit Cinnabaris, non explicat: unde variæ auctorum sententiæ. Plinius lib. 33. cap. 7. & Solinus cap. 38. ajunt esse sanguinem draconis, elisi elephantorum morientium pondere, permixto utriusque animalis sanguine. Totam historiam lege apud Plinium cap. 12. lib. 8. qui minium in argentariis vult

metallis inveniri, diversisque modis alterari. Sed quia Theophrastus, & multi alii viri graves, Cinnabarim cum minio confundunt, de his simul dicemus: & primum de minio factitio, cujus sunt tres species. Prima fiebat ex arena quadam rubea & splendente, Cilbianis agris prope Ephesum, quam emolliebant, & abluebant & cinnabarim conficiebant: cujus rei auctor fuit Callias Atheniensis, qui coquens arenam illam, & existimans se ex ea aurum posse conficere, minium confecit: & hæc species cinnabaris est, miniumque artificiale antiquorum. Altera species fiebat ex plumbo adusto, & vocabatur minium secundarium, eo quod secundum locum præstantiorem obtineret. Tertia cinnabaris, seu minii species antiquorum erat, quam conficiebant ex illo lapide, qui vocatur anthrax (id est) carbunculus: qui lapis subrubri coloris est, in speciem ferri, & ex hoc lapide, (teste Vitruvio capit. 8. lib. 7. de architectura) crebræ lacrymæ argenti vivi emanant, quæ à fossoribus statim colliguntur, & dum coquitur maximam copiam argenti vivi emittit: quod argentum ubi extraxerunt lapidem iterum

um coquunt & ex eo Cinnabarim con-
ciunt. Triplex ergo antiquis Cinna-
aris artificioſæ erat. Vna ex arena
ubra, alia ex plumbo uſto, tertia ex
nthrace lapide. Apud nos duplex tan-
um minium eſt. Vnum quod fit ex lon-
a coctione, artificio chimiſtarum, ar-
enti vivi, & ſulphuris: & Cinnabaris
el Cinnabrium apud nos pharmaco-
eos dicitur. Alterum minium in noſtris
fficinis reperitur, quod fit ex ceruſa
xuſta, & nihil aliud eſt quam vera ſan-
ix antiquorum, cujus meminiſſe vide-
ur Plinius capit. 6. lib. 35. naturalis hi-
toriæ, & ſi Virgilius ecloga 4. herbam
ſſe putaverit, hoc verſu: Sponte ſua
andix paſcentes veſtiet agnos. Et hæc
uidem de Cinnabari arte facta, quæ à
Plinio, & Vitruvio minium appellatur.
Theophraſto vero, tria ſunt naturalis
minii genera. Vnum foſſile, durum,
apideum, ex fodinis argenti effoſſum
quod in uſu habetur, & officinis Cinna-
baris foſſilis dicitur. Secundum ſagit-
tis decutiebatur ex altiſſimis, & inac-
ceſſis rupibus, quod nobis ignotum eſt.
Tertium erat cinis coloratus, qui in
eiſdem fodinis reperiebatur, & de hoc
genere Cinnabaris loquuti ſunt Græci,

Dioſcoride excepto. Vnde Galenu lib. 9. de Simpl. medicament. facult. capit. 39. Cinnabaris modice acrem facultatem obtinet: habet verò aſtrictionis quidpiam, & eſt metallicum quiddam, ideoque erodit. Dignoſcitur autem cinnabaris vera à factitia & artificiali hoc modo. Accipe laminam ferream, ignitam, & ſuper ipſam pone cinnabarim: deinde cum incanduerit, refrigerare permitte: ſi colorem retinuerit, vera eſt & nativa, ſi nigreſcat, factitia & artificialis. Et (ut verum fatear) minium verum colore, & pondere, cinnabarim factitiam refert, quamquam nonnihil ea lucidius, & lividius ſit: ut videatur artem natura imitata: eſtque id minium ſapore acerbo & aſtringente. Quantum vero ad cinnabarim Dioſcoridis ſpectat, Matheolus in Dioſcoridem capite de cinnabari, & Fallopius tractatu de metallis ſeu foſſilibus, aliique recentiores, non vulgaris authoritatis viri volunt, ſanguinem draconis eſſe cinnabarim Dioſcoridis. Eſtque gummi colore & ſubſtantia ſanguini ſimile, quod non aliunde, quam ex Africa defertur, nec inde copioſum, pictoribus expetitum, ut intento

ejus colore, purpureas rubenteſque concinnent umbras: quod viribus hæmatitæ lapillo omnino reſpondet. Nam (ut experientia docet) vi aſtringendi pollet, & majore quidem, quam hæmatites. Quod ſi plura requiras, lege Matheolum in Dioſcoridem loco ſupra citato.

CAP. XVI.

Emplaſtrum pro Stomacho, Præpoſiti.

℞. Roſarum rubearum, ℥ j.
Abſynthij, Comm. & ſicci,
Menthæ Vulg. ana M. j.
Spicæ Indicæ,
Cinnamomi,
Ligni aloes, ana ℥. ß.
Galangæ,
Calami aromatici, ana ʒ ij.
Cariophyllorum,
Macis, ana ʒ j.
Maſtiches, ℥ j. ß.
Styracis Calamites, ℥ ij.
Ladani puri, & mollis,
Ceræ, ana ℥ vij.
Terebinthinæ, ℥ j.

Pulveriſanda pulveriſentur, deinde rrorentur cum vino cotoneorum, & in

mortario

mortario conterantur: & fiat ceratum cum

Olei de ſpica Nardi,
Olei myrtillorum, ana ℥ iij.

In mortario calido cū piſtillo calido.

Ladanum purum in minutiſſimas partes diviſum cum oleis de ſpica Nardi & myrtillorum igne maxime lento liquabis, poſtea ceram in partes confractam injicies: qua liquata ab igne removebis, tum terebinthinam infundes, deinde ſtyracem mollefactum conjunges. Sic autem ſtyracem mollem reddes: in mortario modice calido, piſtillo pariter calido ſtyracem tractabis, vino aut ſucco cotoneorū modice paulatim aſperſo, donec molleſcat. Quibus ita paratis pulveres ſimplicium pręſcriptorum ſimul, vel per ſe pulveriſatorum ex artis præſcripto projicies. Demum totam maſſam in mortario modice calido & piſtillo calido diligenter tractabis, ita ut nullum ab altero ſecerni poſſit. Sicque emplaſtrum arte quam maxime elaboratum habebis. Notandum tamen ſimplicia dum teruntur, vino, & cotoneorum ſucco madefacienda, & aſpergenda eſſe, ne ſubtilior pars tenues vaneſcat in auras.

Quod

Quod si istud emplastrum in forma solida conficere velimus, ℥ ij ceræ addendæ erunt, aut dosis oleorum minuenda, & olei de spica Nardi & myrtillorum ana ℥ j. affundenda. Si vero in forma cerati liquidi, vel unguenti, auctoris descriptio erit imitanda. Sed ut verum fateamur in nostris officinis in emplastri formam conficimus, & habetur paratum.

CAP. XVII.

Emplastrum de meliloto Mesuæ ex dist. XI. *de unguentis & emplastris Usuale.*

℞. Meliloti flor. ℥ vj.
Florum chamæmeli.
Seminis fœnugræci,
Granorum lauri excorticati,
Radicum altheæ,
Absynthii vulg. ana ʒ iij.
Seminis apii,
Cordumeni, ejus loco carui,
Ireos,
Cyperi,
Ammeos, id est Sem.
Spicæ Nardi,
Cass. ligneæ, id est Cinamomi ana ʒ ij.

Sam-

Sampſuchi, id eſt, Majoranæ ℨ iij.
Ammoniaci, ℨ x.
Styracis calamitæ,
Bdellij, ana ℨ x.
Terebinthinæ, ℥ j. ß,
Ficuum pinguium, num. xij.
Sepi Caprini,
Reſinæ, ana ℥ ij. ß.
Ceræ flav: ℥ v.
Olei ſampſuchini,
Olei de Spica quantum ſufficit.
Aquæ decoctionis fœnugræci,
Chamæmeli,
Meliloti quantũ ſufficit, vel ℥ viij.

Ad infundendum infuſione diligenti miſceantur & conficiantur.

Imprimis neceſſarium (ut ſingula quã optime in hoc emplaſtro præparentur) quædam ſimplicia emplaſtrum ingredientia triturare, & contundere unumquodque ſuo ordine convenit. Nam minutim cyperus ſecandus & obiter contundendus, deinde radices althææ mediocriter ſiccas ac inciſas, fœnugræcum, iris & caſſia lignea leviter, quater, aut quinquies piſtillo tundenda, tum ſpica nardi in tenuiſſimas partes inciſa addenda, deinde baccæ lauri & ſemina omnia, folia & flores, ut abſyn-

thium

thium ſampſuchum, melilotum chamæmelum: paulo poſt ſtyracem (alij radices althææ & fœnugræcum ſeparatum cum decoctione ſufficienti fœnugr. chamæmeli, & melliloti infundunt, ut ex eis mucaginem habeant: deinde mucaginibus extractis cum ficubus tuſis conjungunt: pariter ſtyracē cum pauca decoctione prædicta molliunt & poſtquam gummi genera ſoluta ſint, cum cera & ſepo conjuncta & incorporata compoſitioni addunt) quæ omnia ſimſiicia accurate trita & per cribrum trāſmiſſa ſervabis donec cætera ſint præparata. Deinde ammoniacum & bdellium (ſi molle ſit) ſeparatim infundes in quantitate ſufficienti decoctionis prædictæ, ſi vero ſiccum ſit bdellium, in pulverem redigendum erit, ſuoque ordine, nempe poſt ſtyracem imponendum. Alij in aceto fortiſſimo ad duplum vel. triplum, ut commode ſolvantur imbuunt, & ad humidi conſumptionem lento igne coquunt. Alij ammoniacum cum prædictis ſimplicibus in pulverem redigunt, quod facilime poteſt pulveriſari, ut experientia nos docuit, verum præſtat diſſolutio quam trituratio. Quibus ſolutis & coctis terebinthina admiſceatur, tum hæc gummi

ſepa-

ſeparatim ut pulvis prædictus ſervantur. Poſtea ficus minutim inciſæ in mortario lapideo cum piſtillo ligneo terantur, paulatim adjecta pauca decoctione fœnugr. chamæmeli & meliloti intertundendum, deinde ſuper cribrum inverſum & anguſtum cochleari averſo tranſcolentur, ad partemque ut ſupradicta ſerventur, donec ſimplicium omnium præparatorum commixtionem facias. Alii ficus in ſubſtantia cum prædictis ſimplicibus tundunt, quod revera alienum eſt à methodo. His itaque ſic paratis maſſam emplaſtri in hunc modum conficies.

Ceram fruſtatim igne lento baculo movendo liquabis, qua liquata ſepum caprinum pariter diviſum injicies, paulo poſt reſinam pulveriſatam, quibus eliquatis, ab igneque ſemotis & parum refrigeratis gummi prius præparatorum una cum ſtyrace & pulpa ficuum conjunges, movendo ut prius baculo: ad ultimum vero pulveres jam paratos addes: demum cum omnia optime cõmixta & incorporata fuerint, totam maſſam pones in mortario cum piſtillo modice calido, ſpatio duarum horarum contundes, ut conveniens omnium fiat

mixtio,

mixtio, velut facilius permiſceantur, addendo oleum nardinũ & ſampſuchinum. Deinde magdaleones formabis.

Cavendum tamen in hoc parando, ne plus olei quam par ſit ponatur; alioqui tenerum ac molle eſſet emplaſtrum. Præterea ſi quis in hoc mucagines ex ſemine fœnugræci, radicibus althææ, pro eorum ſubſtantia uſurpare velit, diligenter animadvertat ne coctæ & tranſcolatæ pondus excedant ſimplicium, ex quibus fiunt; quod itidem in ſiubus obſervandũ, ſi ex eis mucagines conficias, quod ſane ut diximus eſt præter artem manuariam: rurſus doſis aquæ decoctionis chamæmeli & mellilotià nobis in fine deſcriptionis hujuſce emplaſtri ſcripta ſufficere videtur, ad maceranda ea quę macerari debent, ſive ad diſſolutionem gummi, ſive ad mucagines extrahendas: ſi vero velit pharmacopœus tantum diſſolutionem gummi, minuenda erit doſis decoctionis prædictæ, ſufficientque ana ℥ x. Quare diligenter perpendat, antequam hoc emplaſtrũ aggrediatur utrum malit ſubſtantiam totam quorundam ſimplicium vel mucaginoſum liquorem.

CAP.

CAP. XVIII.

Emplaſtrum pro matrice authoris incerti, quod à Præpoſito in fine VI. *particulæ additionis lib.* 2. *deſcribitur Vſuale.*

℞. Radicis biſtortæ, ℥ iij.
Ligni aloes,
Santali moſchatelini,
Nucis moſchatæ,
Berberis,
Antheræ, ana ʒ ij.
Cinnamomi,
Cariophyllorum,
Schœnanthi,
Florum Chamæmeli, ana ʒ j.
Thuris, Maſc. ſeu Olibani,
Maſtiches,
Aliptæ moſchatæ, &c.
Galliæ moſchatæ, ſunt Trochiſc,
Styracis calamitæ,
Styracis rubei. ana gra. xv.
Moſchi, gra. vij. ß.
Ceræ Citrinæ, ℥ iiij. ß.
Terebinthinæ, ℥ I. ß.
Ladani puri, lib. I.
Picis navalis, ℥ ix.
Fiat Emplaſtrum.

Cera confracta, & ladanum divisum, cum uncijs duabus olei convenientis compositioni (oleum verò nullum capit hæc descriptio, quale autem debeat sumi, dubitari posset: nam si agatur de suffocatione matricis, oleum gagatis aut ruthæ sumi potest, sin quæstio est de frigiditate & humiditate matricis corrigenda, nardinum magistrale, aut chamæmelinum sufficere potest) igne lento spatula lignea agitando liquentur: liquatis, nec ab igne depositis, picem navalem colatam, ut liquescat impone, mox cum ab igne deposueris, terebinthinam, & styracem calamitam cum oleo dicto solutam: cum verò hæc omnia optime liquata & commixta fuerint, & aliquid caloris deposuerint, reliquorum simplicium pulveres arte præparatos in hæc insperges, simulq; commiscebis, ut radicem bistortæ, santalum, lignum aloes, schœnanthum, chamæmelum, antherã berberim, cariophylla, cinnamomum, nucem, gulliam & aliptam moschatam, styracem rubeam, statim pulverem tenuissimum mastiches, & olibani, celerrime movendo, addes: paulopost moschum liquore minime unctuoso disso-

diſſolutum conjunges :, cumque omn
fuerint optime commixta & ſubacta
totam maſſam in amplum mortariu
metallicum, modice calidum mitte, &
probe piſtillo ferreo mediocriter cal
do tundito, ac tractato, donec perfect
in unum coeant: demum magdaleone
ad uſum fingito.

Notandum tamen erit, multos phar
macopolas eſſe, qui alia utantur metho
do, quam & ſi adhuc non obſervaveri
mus, eam tamen non improbamus, hæ
autem talis eſt. Ceram igne lento li
quant, deinde picem navalem percola
tam addunt, poſtea ab igne deponun
& terebinthinam infundunt, ſtatim pul
veres ſimplicium ordine commiſcent
deinde cum omnino hæc refrixerint
pulverem thuris & maſtiches proji
ciunt, ſpatula ſemper ducendo, unam
que maſſam conficiunt, quam ſervant
donec ladanum ſit liquefactum, ut fa
cilius tota maſſa prædicta cum ladan
miſceatur. Sic autem lanum molle &
liquidum reddunt. Ladanum fruſtatim
incidunt, & in mortarium ſatis calidum
projiciunt, ac piſtillo ſatis calido cōtun
dunt, & parum olei convenientis com
poſitioni affundunt, deinde magdaleo
nes ad uſum conformant. Cæte-

Cœterum (verum ſi fateri licet) vix hæc omnia poſſunt commiſceri, niſi aliquid olei compoſitioni convenientis addatur, ut multoties ſumus experti, quare quantitatem à nobis deſcriptam retinendam eſſe exiſtimamus.

SECTIO II.

De Vnguentis.

HActenus Ceratorum, & Emplaſtrorum in officinis noſtris paſſim proſtantium, ſimulque illorum materiam ſeu ſubjectum, necnon componendi methodum, qua potuimus diligentia, & ſedulitate pertractavimus. Reliquum eſt ut de unguentis breviter percurramus: quorum ſubjectum non aliud eſt quam ceratorum & emplaſtrorum, ut antea his verbis explicuimus. Neque enim inter ſe tam eorum ratione differunt, quæ ipſa ingrediuntur, quam conſiſtentia: nam quæ ingrediuntur cerata, etiam in emplaſtris & unguentis admittuntur. His itaque ſic definitis & conſtitutis, ad unguentorum conficiendorum methodum accedentes ab unguenti primum definitione exordiemur. Eſt autem unguen-

tum mollis quædam confectio, ex stipium partibus, metallicis, mineralibus, terra, & animalium partibus mediæ inter cerata & linimenta consistentiæ, quæ omnia præparantur & miscentur ad unguentum conficiendum eadem methodo, quæ prius à nobis descripta est in ceratis & emplastris. Fit autem unguentum duplici modo, videlicet cum igne, & sine igne; cum igne, ut omnia unguenta, & consimilia, quæ multa simplicia, ut ceram, lithargyrium, axungiam recipiunt: sine igne, sola nutritione & subactione, ut nutritum seu tripharmacum. Differtque unguentum à linimento, quia in unguento conficiendo ponitur olei uncia una, pulverum ʒ j. ad summum ʒ j ß. ceræ ʒ ij, vel ʒ iij. Tamen hodie componentis arbitrio relinquitur dosis ceræ, & à Medicis sic (ceræ quantum sufficit) scribitur: dummodo servetur consistentia corporis crassioris in unguento, liquidioris in linimento. Linimentum enim est mollius unguento & componitur ex his, quæ unguenti compositionem ingrediuntur cum minori cera, vel incrassantium portione, vel absque speciebus. Proportio

portio linimenti eſt, ut pro olei uncia una, ponatur ceræ ʒ j. Alii ſextam partem unciæ ponunt: & cum aliquid ſiccum miſcetur, de cera nonnihil detrahitur, ſed ſœpiſſime conficitur cum cera & oleo, ſine pulverum commixtura. Demum, ut nunc quæ antea diximus, dilucidius intelligantur, ſingulatim unguenta à nobis Pharmacopœis uſitata, & cognita, explicanda ſuſcipiemus.

CAP. I.

Vnguentum album Rhaſis.

℞. Olei roſati, ℥ ix.
Ceruſæ albæ, ℥ iij.
Ceræ albæ, ℥ ij.

Confice ſic.

Manu fricetur ſuper cribro tenuiſſimo ceruſa, ut tranſmittatur: tranſmiſſa in mortario metallico ſpatio aliquot horarum friando levigetur, ut magis reducatur in pollinem. Deinde ſuperinfunde ceram liquatam in balneo mariæ cum oleo roſaceo: tum ducantur hæc atque agitentur (dum calet) celerrime, piſtillo ferreo, quouſque omnia ſint probe commixta. Et hoc modo

unguentum erit paratum: quod ad usu[s]
necessarios recondes.

Alii alia methodo utuntur, nam ultr[a]
descriptionem prædictam, ovorum al-
bumina, alii lithagyrium, alii mucagi[ne]-
nem tragacanthi, alii camphoram se-
cundum morbum addunt.

CERVSÆ.] Plurimi cerusam defi-
niunt esse æruginem aut cinerem plum-
bi. Tamen, ut inquit Dioscorides lib. 5.
cap. 63. Cerusa nihil aliud est, quam
plumbum nigrum acerrimi aceti halitu
liquatum, & incrassatum, & post in mol[a]
tritum, denuoque cribratum & in te-
nuissimum pulverem resolutum. Mo-
dum autem conficiendi lege apud eun-
dem Dioscori. lib. & capit. citato. De
lotione, electione, & repositione sati[s]
aperte in primo libro, capite 16. dixi-
mus. De viribus & facultatibus, con-
sule Serapionem lib. aggreg. cap. as-
fidhegi, & Avicennam lib. 2. capite de
cerusa. Plinium quoque lib. 34. cap. 18.
& lib. 35. cap. 6.

CAP. II.

Vnguentum Tripharmacum seu nutritum.

℞. Lithargyrii triti sicut alcool, P. j.
E

Et funde ſuper ipſum nunc
Oleum,
Nunc
Acetum,
Et terantur & adæquentur & proprie quantum ſufficit.

Meſues neque olei neq; aceti quantitatem definit, cum his verbis utitur; funde deſuper nunc oleum, nunc acetum &c. Exiſtimo Meſuem quantitatem olei & aceti reliquiſſe arbitrio artificis, pro ratione uſus unguenti: nam quia hoc unguentum ſœpiſſime vſurpatur ad defenſionem inflammationum quæ aliquando leves, aliquando vehementiores ſunt: tamen hoc non impedit, quo minus illud unguentum in noſtris officinis præparatum habeamus. Cujus deſcriptio talis eſt, ponderibus definita. ℞. Lithargyrii aurei coloris triti & loti (ſecundum ſcopum) P. j. olei roſati immaturi P. j. aceti roſati P. ß. Confice ſic. Lithargyrium tritum & lotum in mortarium plumbeum conjice, illudque cum quadam parte olei piſtillo plumbeo agita & tracta, quouſque lithargyrium juſtam craſſitiem conſequutum ſit: tunc paulatim aceti portionem aliquam inſunde, & ut

prius tracta, donec acetum fit cum li-
thargyro & oleo commixtum: denu-
residuum aceti & olei affunde subag-
tando, videlicet nunc acetum, nunc o-
leum, donec totum acetum & oleu-
lithargyrium imbiberit, & unguen-
formam adeptum fuerit. Deinde ficti-
pixide ad usum serva.

Caveat tamen Pharmacopola, illu-
cum volet præparare, initio multu-
olei & aceti super lithargyrium affun-
dere, ne submergat: nam cum submer-
gitur, nunquam consistentiam unguen-
adipiscitur, nec incorporari potest. E-
ideo nutritum vocatur ex conficien-
methodo (quia est lithargyrii quæ-
dam nutritio) sitque solicitus hoc un-
guentum subagitare spatio unius diei
si quam optimum & probe ligatum ve-
lit habere.

LITHARGYRII AVRI.] Lithargy-
rium, & auri vel argenti spuma, idem
sunt. Satis copiose diximus de illius lo-
tione in Sectione prima cap. 2. Nunc
de materia, variis generibus & extin-
ctione (si in aliquo loco extinctio desi-
deratur) dicendum venit. Lithargy-
rium non effoditur, nec reperitur natu-
rale, sed paratur ex multiplici materia

oppor-

opportuna, quæ non unica ab auctoribus proponitur. Videlicet, unam esse ajunt arenam plumbarem, aliam argentum, aliam plumbum, alteram aurum, alii unicam esse materiam, quod est plumbum, alii galenam esse materiam lithargyrii, tamen pro diversitate materiæ diversa acquirit nomina. Sed antequam ultra progrediamur, illud definiamus. Est autem lithargyrium, secundum quosdam, spuma argēti continens adhuc aliquid argenti, vel plumbum exustum cum auro vel cum argento, cujus est usus nobis frequens in unguentis & emplastris. Sed ut verum fateamur, materia lithargyrii est plumbum exustum cum argento, vel cum auro in catinis, in quibus concrescit & colliquatum est argentum vel aurum, non autem ex argento vel ex auro, tanquam materia, sed colorem argenti vel auri referens. Tres species facit Dioscorides lib. 5. cap. 62. Plinius pariter lib. 33. cap. 6. Vna, quam molybditim vocamus, altera argyritis, & chrysitis: tertia plombago seu molybdena dicitur. Fit autem prima species, quam molybditim appellamus, ex arena in fornacibus conflata, cum perfecte igni

 incan-

incanduerit. Argyritis ex argento fit Chrysitis ex auro, non quod fit ex argento, vel ex auro, sed quia argenti vel auri colorem refert. Plumbago seu molybdena fit ex laminis plumbeis, hodie apud nos Pharmacopeos usitata. Præstantissima omnium est Chrysitis, quæ fulvo colore splendet. Quod si plura requiris, lege Georgium Agricolam lib.9. de natura fossilium. Si quis vero lithargyro extincto egeat, sic extinguat. Accipe lithargyrium, & frange minutim ad quantitatem nucis, & in crucibolo fusorioque furno ut ignetur, & in modum prunæ ardentis rubeat, expone. Deinde extrahe, illudque in aceto, aut vino fortissimo aut liquore morbo convenienti extingue: hocque ter aut quater iterabis, innovando acetum aut vinum, aut liquorem convenientissimum, sicque lithargyrium extinctum ad usum habebis, si requiratur.

CAP. III.

Vnguentum aureum Mesuæ.

℞. Ceræ citrinæ, ℥ vj.
Olei boni, lib.ij.
Terebinthinæ,

Resinæ,

Resinæ,
Colophoniæ, ana ℥ j ß.
Olibani,
Mastiches, ana ℥ j.
Croci, ʒ j.

In vase ceram frustatim divisam, una cum quadam olei portione igni levi ad liquandum expones: qua liquata, resinam, & colophoniam confractam injicies, ut simul fundantur. Tum ab igne sepone, & statim terebinthinam infunde: quibus quam optime refrigeratis, olibanum & mastichem per se pulverisata immisce, spatula lignea ducendo. Postremo crocum cum reliqua portione conjunctum, vel si mavis dissolutum conjunges. His omnibus commixtis usui reserva: animadvertendum tamen, plures Pharmacopœos illud conficere absque olibano, mastiche & croco ob nimios sumptus. De simplicibus nihil dicemus, cum in Sect. prima abunde ea tractaverimus.

CAP. IV.

Vnguentum Basilicon minus Mesuæ.

℞. Resinæ,
Picis nigræ,

Ceræ cit: ana.
Olei quantum suffi:

Pondera simplicium omisit Mesue pariter Fuchsius & Præpositus, qua quidem descriptionem ex Mesue d sumpserunt. Tandem ut experient docuimus, ponderum certus numerus nobis restitutus fuit, ut in sequentib descriptionibus videre licebit. ℞. Re sinæ, picis nigræ, ceræ citrinæ, an ℥ ij ß. olei veteris olivarum matur lib. j ß. si durior lib. j.

Alii recipiunt resinæ picis ana ℥ ij ceræ citrinæ ℥ iiij. olei veteris olivarum maturi lib. j ß vel ij. Utraque dosis optima. Confice sic. Maturum & vetus oleum in lebete amplo simul cum cera in frusta divisa igne lento, spatula lignea ducendo liquefac: qua liquata resinam & picem percolatam confractamque impone ut liquefiant, quibus liquatis & refrigeratis reconde.

CAP. V.

Vnguentum Ægyptiacum magnum seu de melle.

℞. Floris æris, Aur. v.
Mellis, Aur. xiiij.

Aceti

Aceti fortis, Aur. vij.

Coque ſuper ignem donec inſpiſſetur. & ſunt qui addunt ei

Olibani maſculi triti, Aur. ij ß.

Quid Aureus ſit docuimus capite de ponderibus.

Igne lento mel cum aceto & flore æris aut viridi ære pulveriſato (quod inter pulveriſandū pauco aceto aſpergi debet, ne feriat nares) ad aceti conſumptionem coquatur. His omnibus coctis & omnino refrigeratis, olibanum probe pulveriſatum immiſce, ſemper ſpatula lignea agitando, ut melius commiſceatur. Vas autem in quo mel & flos æris vel viride æs, & acetum coquuntur, fictile eſſe debet, ne augeatur in alio vaſe acrimonia floris æris vel viridis æris & aceti: reponaturque in fictili optime obtuſo. Meſues unguentum Ægyptiacum magnum vocavit, non ad differentiam parvi, ſed dixit magnum propter magnas vires, quas poſſidet.

CAP. VI.

Vnguentum populeon Myrepſi.

℞. Oculorum in ſummo arboris

populi quando floret apparentium, lib. j ß.
Foliorum papaveris nigri,
Foliorum mandragoræ,
Foliorum rubiæ tenerrimorum;
Foliorum hyoſciami,
Foliorum ſolani,
Vermicularis ſeu Sempervivi minoris,
Lactucæ foliorum,
Sempervivi ſeu ſedi majoris,
Foliorum violæ,

Cymbalii foliorum nominati Cortali, naſcentis in figulinis & muris.

Singulorum, ℥ ß.

Adipis ſuilli recentis expertis ſalis.

Paratur autem in hunc modum. Accipiuntur herbæ, & cum adipe in mortario tunduntur, fiuntque veluti fermentum, & ſinuntur ſub ea forma diebus octo. Deinde gladiolo inciduntur in tenues partes, inque lebetem conjiciuntur, & lento igne bulliunt cum

Vini boni, vel Aceti acerrimi, lib. j.

Donec totum aſſumptũ fuerit. Poſtea per linteum tenue colantur, & reponuntur in vaſe.

Tundan-

Tundantur per ſe oculi populi & folia violarum inciſa in mortario lapideo cum piſtillo ligneo, & una cum axungia præparata poſita intra vas fictile coopertum loco modice calido recondantur (ſicuti reconduntur conſervæ oleorum) donec cætera ſint collecta ac præparata, hoc eſt, duos aut treis menſes, vel eouſque dum cæteræ herbæ ſint in vigore: oculi enim populi, & violarum folia primo ſtatim vere, nempe menſe Martio erumpunt. Aliæ autem Mayo vel Iunio menſe vigent. Has ubi per temporis occaſionem collegeris, inciſas per ſe in mortario prius dicto cum piſtillo optime contunde; & cum prędicta fermentatione ſeu commixtione oculorum populi commiſce, deſuper affundendo aceti optimi lib. 1. & iterum loco tepido ſpatio octo dierum reconde, quibus elapſis totum in cineribus calidis aut vaſe duplici coquatur, donec omnis humiditas evanuerit. Signum autem coctionis tale erit. Accipias aliquid de decocto cum ſpatula lignea, vel baculo, & injiciatur in carbones accenſos, ſi ſtrepitum nullum emittit, coctum erit, ſi verò emittit non ſatis erit. Tunc ab igne ſepone &

calide linteolo tenui & forti probe exprimendo percola, & infrigidari ſinito, deinde in vaſe optime obturato in uſum ſerva.

Notandum Myrepſum tantum octo dierum ſpatio in infuſione unguentum iſtud detinere: revera id fieri minime poteſt ob diverſitatem temporis, quo herbæ colliguntur: nam aliæ veris initio, aliæ æſtate proveniunt. Præterea plurimi ſunt qui folia bardanæ huic unguento addunt, Myrepſus verò omiſit: idcirco cenſerem addendam eſſe bardanam ad quantitatem prædictorum germinum.

ADIPIS SVILLI.] In hac Myrepſi compoſitione deeſt pondus adipis, forſan bibliopolæ negligentia. Quare cenſerem ut ſæpiſſime expertus ſum pro quantitate herbarum, lib. ij adipis in hoc addendas eſſe: quamvis Fuchſius dicat lib. 1. ſufficere. De adipis autem collectione, præparatione, & repoſitione, ſupra Sect. prima capit. 2. ſatis diximus.

CAP. VII.

Vnguentum de Althæa Mirepſi.

℞. Radicis malvæ Silveſtris, lib. 1.

Seminis

Seminis lini,
Fœnugræci. Singul. lib. ʒ.
Scyllæ, ℥ iij.
Rad. bene cōtuſæ conjiciantur in
Aquæ plu: lib. iij. ß.

Deinde dies tres in ea maceratę ebulliant, donec ſucci craſſitudinem acquirant, & per linteum tenue colentur. Poſt accipiatur ſucci hujus lib. 1, & injiciantur ei

Olei Omph. lib. ij.

Et rurſus bulliant donec ſuccus abſumptus fuerit. Deinde adjiciantur.

Ceræ Cit. lib. ß.
Terebinthinæ,
Galbani,
Gummi hederæ aut ejus
Succi. Singul. ℥ j.
Poſtremum imponatur
Colophonia bene trita &
Reſina alba pura, ana ℥ iij. +

Concuſſa agitataque probe, ut in lebete eliquentur, ab igne removeto, & juſto tempore, ut refrigerentur, conquaſſato & vaſe recondito.

Radices malvæ ſilveſtris, & ſcyllæ laminæ fruſta per ſe diviſæ: ſemen itidem lini, & fœnugr. ſeparatim ſingula in vaſis fictilibus diverſis, coopertis cum

+ vid. errata ad finem

lib.v.ß.aut vj.ad summum aquæ maxime calidæ (pro æquali portione radicum & seminum) spatio trium dierum macerentur (quanquam alij trium, aut sex horarum tantum spatio id faciunt] infusione autem peracta iisdem vasis concoqui debent separatim igne lento, spatula semper movendo, donec aqua, infusionis causa imposita, consumpta sit, & supersint mucaginis colatæ, singul. ℥ iij. deinde torquendo omnia seorsim exprimere debes: expressum cum oleo prædicto eodem igne coquatur, linteo agitando, ad ℥. ß. ferè consumptionem mucaginis expressæ. Mox ceram minutim confractam, ut liquefiat, injicies, quę ubi liquata erit, ab igne sepones & frigescere permittes: quæ ubi refrixerint, galbanum dissolutum (cujus dissolutionis require modum supra Sect. prima) & cum terebinthina incorporatum admiscebis: desuper pulverem quam tenuissimum, gummi hederæ, colophoniæ & resinæ adjicies (alii post ceram liquatam colophoniam & resinam addunt, ut una liquentur, & melius.) Quæ omnia commixta & optime incorporata in vase ad usum recondito.

In

In hoc unguento parando plura ſunt notatu digna: imprimis Myrepſium pondera colophoniæ & reſinæ omiſiſſe. Sed Fuchſius de componendis medicament. Sect. 15. de unguentis, & Præpoſitus particula 20. lib. 2. pondus reſtituerunt, ſcilicet ſingulorum ℥ iij. Præterea cum Myrepſius, & alii qui hoc unguentum à Myrepſio deſumpſerunt, tres tantum libras aquæ determinarunt ad infuſionem & decoctionem radicum & ſeminum (licet in aliquibus Præpoſiti libris vij libræ legantur) maxime meo quidem judicio falluntur hi, cum totæ radices, & ſemina ſint in pondere duarum librarum & trium unciarum, ſunt tantum unciæ decem & ſemis aquæ pro unoquoque ſimplici, quæ non ſufficiunt, cum tribus diebus continuis igne lento macerari debeant ante decoctionem: quæ aquæ proportio tum infuſionis tum coctionis tanto ſpatio poſſet conſumi, & radices & ſemina aduri defectu humoris. Vnde (ſalvo meliori judicio) ſi hoc unguentum voluerint Pharmacopœi conficere, ut author præſcribit, legendum erit, aquæ lib. viij. aut novem ſecundum regulam Servitoris. Sed quia in dictis ſimplicibus eſt humiditas

ditas ſatis multa, ut quæ portionis alicujus aquę vices ſupplere poſſit, nō tam exacte juxta regulam Servitoris quinque libris cum ſemiſſe, aut ſex ad ſummum contenti eſſe poterunt, ſi perfectā velint habere mucaginem, ne radices & ſemina vrantur infundendo & coquendo. Nam ea regula cum ſit univerſalis, modificatione tamen aliqua conſcribi poteſt, pro ratione corporum coquendorum, quæ quantitas aquæ melior & certior ſit ad ſeminum & radicum mucagines extrahendas: id quod maxime à peritorum artificum, & probatorum authorum judicio dependet. Rurſus notandum, Myrepſum quærere ſolum lib. j mucaginum coctarum ad craſſitiem: coctæ verò, vult, ut conſumantur cum oleo prædicto. Revera facile libra una mucaginum poteſt cum libris duabus olei coqui, ſed quantitas radicum & ſeminum hoc loco deſcripta mihi videtur excedere, ad libram mucaginum conficiendam. Nam eſt regula generalis apud omnes Pharmacopœos, authoritate Servitoris & Præpoſiti, ad mucagines conficiendas, ut pro libra una aquæ, ſumamus ℥ iij. ad ſummum ℥ iiij radicum vel ſeminum.

CAP.

CAP. VIII.

Vnguentum Agrippæ Myrepsi.

℞. Bryoniæ Rad: lib. ß.
Radicis althææ silvest.
Scyllæ, Singul. lib. ij. ß.
Iridis nostrat. ʒ vj.
Radicis filicis,
Ebuli,
Tribuli marini. Singul. ℥. ß.
Tusa hæc imponantur in
Olei lib. ß.

Et subigantur simul, ac reponantur in vase diebus tribus: deinde injiciantur in lebetem, & bulliant, subactaque jam probe colentur, siccaque abjiciantur, liquidum autem in lebetem conjiciantur, &

Ceræ puræ, ℥ iij.
Sic paratum reconde in vase.

Recentes omnes radices tempore & loco legantur, terque aut quater abluãtur, semper aquam mutando, sindoneque munda abstergantur, & in minutissimas partes incidantur, deinde omnes per se in mortario lapideo pistillo ligneo tundantur perfecte, fictilique plombato stricti orificij una cum oleo,

oleo, ſpatio trium dierum, aut (ut alii octo, ut melius & efficacius macerentur, ſuper cineres calidos conſtituantur, & vas diligenter cooperiatur, interdum tamen ſpatula agitari debent, ut melius imbuantur, deinde maceratione peracta coquantur ad humidi conſumptionem, vel donec tota humiditas radicum ſit conſumpta, & oleum dum cum radicibus coquitur, totam vim radicum imbiberit. Mox dum calet, percoletur, & radices ſiccæ projiciantur. Liquidum oleum rurſus ſuper ignem levem apponatur: ſtatim cera concisa ad liquandum injiciatur: qua liquata refrigeſcere ſinito, agitando, refrigerato ad uſum in pixide ſervato.

Circa hoc unguentum notandum, Alexandrinum libro de compoſitione medicamentorum ſecundum loca capite 99ʒ. & Præpoſitum lib. 2. particula xx. non convenire in ſimplicibus, neque in ponderibus, illorumque deſcriptiones ab hac Myrepſi maxime differre. Vſualis tamen & vera deſcriptio eſt Myrepſi, quia primus eam uſurpavit & deſcripſit. Quantum autem ad ſimplicia, loco radicis althææ ponunt alii (& me-

(& melius) radicem cucumeris aſinini, quæ purgatrix eſt, & ideo facit, ut multi medici præſcribant ad hydropicos. Quantum ad doſes ſic variant: nam alii bryoniæ lib. ij. radicis cucumeris aſinini lib. 1. ſcyllæ ℥ vi. iridis ℥ iij. radicis filicis, radicis ebuli & tribuli marini ana ℥ ij. olei olivarum maturi & antiqui lib. iiij. ceræ ℥ xv. Quod verò ſpectat ad confecturæ rationem, videtur deſcriptio Myrepſi deficere in quantitate olei pro quantitate ſimplicium, & ſimiliter in ceræ pro quantitate olei. Itaque addendum mihi videtur oleum in maiori quantitate & ſimiliter cera prò ratione olei. Et quia in hoc Myrepſi ad coctionem radicum tantæ quantitatis, & earundum macerationem non poſſet eſſe adhuc ſufficiens quantitas olei, non erit præter rem aliquid liquoris permiſcere, vini ſcilicet, vel aquæ ne uratur oleum. Vinum tamen in hoc præſtat.

CAP. IX.

Vnguentum roſatum Meſuæ.

℞. Axung. porcinæ recentis quantitatem quam volueris, vel lib. viij.

Et

Et lavetur in aqua calida nonies, & tantumdem cum aqua frigida, lavatione ultima: deinde terantur cum ea,

Rosarum rubearum recentium, quantum ipsa est, id est lib. viij.

Et dimittantur marcescere per dies septem: deinde coquantur cum facilitate & colentur. Et iterum tantumdem rosarum teratur & dimittatur per alios septem dies, & funde super ea

Succi rosarum circiter. Partem sem. accipe lib. iiij.

Olei amygdalini, Part. vj.

Et iterum coquantur cum facilitate, usque ad succi consumptionem, deinde reponatur & administretur: & quandoq; disrumpitur in aqua rosata parum opij, & projicitur in decoctione, & est mirabile, ubi oportet, & proprie quando vigiliæ adsunt.

Vt docuimus antea Sect. prima capit. 2. accipe axungiæ porci recentis & à membranis exacte purgatæ lib. viij. quam probe in vase fictili plumbato, lati orificij, semper spatula lignea tractando, nonies aqua calente lavabis, donec frigescat axungia, aquam semper cum frigida erit, ejiciendo, & aliam calidam assumendo, & toties postea aqua

frigida tractando lavabis, semper innovando aquam: deinde cum optime lota erit, in alio fictili stricti orificij axungia reponatur: una cum libr. viij rosarum rubearum, prius in mortario lapideo vel marmoreo cum pistillo ligneo tusarum, diligenterque fictile cooperiatur, & igni lento, nempe cineribus calidis aut diplomati per modum infusionis, diebus septem appones, & concoques, ut sit quasi non coctio, sed potius maceratio, & humidi superflui consumptio, radicalis verò humidi rosarum reservatio. His peractis totum extorquendo calide coletur, & colaturæ tantumdem rosarum rubearum recentium, ut prius contusarum, in vase prædicto cooperto una cum succi rosarum lib. iiij. spatio septem dierum cineribus calidis, aut diplomate, ut omnia simul macerentur & tota rosarum humiditas, & succosa substantia in axungiam abeat, iterum repones & ut prius concoques. Tum axungiam colabis, et siccis rosis abjectis refrigerari permittes, & diligenter axungiam ita paratam vase nitido cooperto ad usum servabis.

Nostrum vulgus dempto oleo amygdala-

dalarum & opio, iſtud unguentum conficit. At ſi quærat quis, quare oleum & opium prætermittamus, dicemus: Oleum magis liquidum unguentum reddere, ob magnam olei copiam: nam ſi addere volumus ſecundum authoris intentionem, revera ſufficiunt ad hoc unguentum parandum ℥ vj. Opium vero poteſt ex præſcripto medici, & non uſualiter addmiſceri, ad errores vitandos, diſſolutum cum pauca aqua roſacea.

CAP. X.

Vnguentum Inulatum ex xx. perticula Præpoſiti Vſuale.

℞. Radicis Inulæ campanæ coctæ cum aceto & piſtatæ ut decet, lib. ß.
Axungiæ porci, ℥ j.
Olei communis, ℥ j. ß.
Ceræ novæ cit. ℥. ß.
Argenti vivi extincti,
Terebinthinæ lotæ ana ℥ j.
Salis communis pulveriſati, ʒ ij.
Incorporentur ut decet.

Radices inulæ tempore & loco collectæ in aqua clara laventur, donec omnes

nes ſordes depoſuerint: deinde linteo-lo mundo & rudi detergantur, fruſtulatimque incidantur: & in fictili cum aceti lib. iij. ſecundum communem uſum coquantur: quia tamen acriorem quandam qualitatem acetum cum radicibus coctum acquirere poteſt, & abſumere inulæ coquendo quandam virtutis portionem, melior videtur prima coctio, & veluti cruditatis effractio, ſi fiat cũ aquæ media parte: perficienda vero ſub finem cum aceti reliqua portione, donec totus liquor abſumptus & coctæ radices ſint. Poſtea refrigeſcere permitte ſuper cribrum rarum, ut ſi quid ſuperſit aquæ & aceti effluat: ubi refrigeratæ erunt, in mortario lapideo piſtillo ligneo (non autem æreo, nec metallico propter aceti vim, alias enim longe diverſam qualitatem acquireret) contundes: tandem dicto raro cribro, manu vel ſpatula comprimens lignea, tranſcolabis & colatum cum axungia porcina in fictili lati orificij concoques igne lento, ſpatula ſemper inter coquendum agitando, donec pars ſuperflua liquoris in auras abeat: & continuo ſalem optime pulveriſatum & cribratum commiſcebis, paulo poſt ceram cum oleo

liquatam conjunges (alij ceram cum oleo liquant, qua liquata radices colatas & ad humidi superflui coctas una cum axungia, & prædicta cera jungunt desuper salem optime pulverisatum inspergunt) tunc totum ab igne sepones, & ubi omnia bene commixta optimeq; refrigerata erunt, argentum vivum cum hominis jejuni saliva probe incorporatum, & cum terebinthina involutum permiscebis; prius tamen aceto maceratum diligenter frequenterq; agitatum in mortario marmoreo cum pistillo ligneo spatio unius horę, vel donec acetum sordes crassas argenti vivi imbuerit: tunc acetum istud dejiciatur, & aliud clarum ac nitidum imponatur, agiteturque ut prius, hæcque agitatio seu maceratio ter aut quater repetetur, semper innovando acetum pro quacunque vice: agitatione autem facta si aliquid in eo terræ aut plumbi, aut stanni sit, id ut auferatur transcolari debet per alutam comprimendo. Sicque paratum ad usum unguentum habebis fictilique reservabis. Cæterum notandnm erit, auctorem petere terebinthinam lotam. Sane ego habeo ex doctrina medicorum integram meliorem

liorem esse, ut quæ, cum amarorem & caliditatem retineat, permeabilior sit, & majoris virtutis ad penetrandum & desiccandum.

ARGENTI VIUI.] Chymistæ argentum vivum mercurium vocant: alij hydrargyron, alij præcipitatum: alii matrem metallorum & mineralium: alii cinnabarim. Verum argentum vivum nihil aliud est, quam aqua viscosa in visceribus terræ, substantiæ subtilis, terræ albæ, temperati caloris, virtute exquisite permista, perque minima, quousque humidum fuerit temperatum à sicco, & siccum ab humido æqualiter. Alii per se inveniri in argenti fodinarum tectis stillatim concretum asserunt. Est autem duplex. Nativum scilicet, & artificiale. Nativum sui coloris sine excoctione, quod tale reperitur intra metalla, in lacubus, in quos è fibris effluxit. Artificiale ex minio, sive ex vena minii conficitur, seu coquitur, ad eum modum quem Dioscorides tradit lib. 5. capit. 70. & Plinius lib. 33. capit. 8. Quod si plura requires, lege eosdem auctores, & pariter Ludoicum Cælium lib. 26. capit. 30. Fuchsium lib. 9. de Simpl. me-

dicament. facultatibus Sect. 3. capit. 32
Notandum tamen erit, argentum vivum, dum est liquidum, crudum & vivum appellari: dum est mortificatum in quibusdam officinis concrematum dici & à nobis sublimatum. Efficitur etiam nobis præcipitatum cum aqua forti, coctione, ad evaporationem ipsius aquæ, videlicet ex P. iij. argenti vivi & aquæ fortis P. j. quod in officinis nostris argentum vivum rubeum vocatur. Extinguitur seu incorporatur sic. Accipe argenti vivi quantum volueris, & mortario metallico impone, & diutissime pistillo ferreo agita cum pauca hominis jejuni temperati saliva, vel cum pauca axungia porcina, ursina, oleo terebinthinæ, juniperi, butyro recenti, sulphure vivo, & cocto pulverisato, styrace liquida, castoreo liquido, terebinthina, & cum pluribus aliis simplicibus pro diversis medicandi scopis, donec nullæ scintillæ appareant. Sicque extinctum vel dissolutum commiscere poteris, scilicet in omnibus unguentis aut emplastris, cum refrigerata fuerint. Sed antequam extinguatur, debet eligi. Eligitur autem & probatur nativum seu fossile à plumbo depuratum: cujus depuratio

puratio talis erit. Accipe alutam fortem & ſatis amplam pro quantitate argenti vivi, & in eam argentum vivum include: incluſum & alutam optime ligatam manu ſtringe & comprime in aliquo vaſe, ſtatimque videbis argentum vivum ab aluta exire, & plumbum ſi adſit remanere in aluta.

CAP. XI.

Vnguentum diapompholygos.

℞. Olei roſati,
Ceræ albæ, ana ℥ iij.
Succi fructus uvæ lupinæ ℥ iiij.
intellige ſolanum hortenſe.
Pſimmythij, id eſt ceruſæ lotæ ℥ j.
Pompholygos vel ſpodij,
Plumbi uſti & loti,
Olibani puri, ana ℥. ß.

In oleo ceram lento igne liquefac, & ab igne ſubductis ſpecierum pulverem adde, & in marmorea pila diutius commiſce, ſæpius ſupraſcriptum ſuccum ſuperfundendo, cumque per quinque aut ſex horas adſ olem cum piſtillo ſubacta fuerint, in loco frigido

coaguletur: si quid succi supernatave-
rit, abjiciatur: & linteo inductum loci
vulneratis impone.

Succi à maturis baccis solani extrahe
quantitatem sufficientem, videlicet
℥ iiij. (quanquam tamen nonnulli exi-
stimant ab immaturis extrahendum
tanquam à magis astringentibus & re-
frigerantibus, quod ego aliter puto) &
cum oleo rosaceo in lebete igni lento
excoque ad succi consumptionem, spa-
tula assidue movendo (sunt autem qui
succum addendum putant, ut eo nu-
triatur calide cerusa & reliqua simpli-
cia dempto olibano) deinde ceram
frustulatim divisam in prædicto oleo,
ut liquescat injicito: qua liquata lebe-
tem ab igne sepones & spodium, plum-
bum, & cerusam separatim tritam &
levigatam, semper spatula agitando
ut probe commisceantur, conjicies:
quibus optime commixtis & omnino
refrigeratis pulverem tenuissimum o-
libani insperges, & subiges, eous-
que dum omnia sint optime mixta &
confusa, ita ut unum ab altero dis-
cerni minime possit: hac enim me-
thodo unguentum secundum artem
habebis factum.

Ani-

Animadvertemus autem in hoc unguento quantitatem olei non sufficere ad perfectam omnium consistentiam, & unguenti formam, nisi ultra auctoris descriptionem addentur olei ℥ vj. quod ego certe facio, dum illud paro, eo quod nimis siccum & durum esset, nisi tantum olei adderetur, aut aliquid de cera detraheretur. Pariter notabimus, Alexandrinum non præscribere pondus succi uvælupinæ, cum dicit quod sufficit, sufficiunt tamen pro quantitate olei ℥ iiij. Idem Præpositus xx particula lib. 2. illud unguentum describit, consentitque cum Alexandrino in simplicibus, sed in ponderibus minime, quæritque Alexandrinus ceram simpliciter, Præpositus vero ceram lotam, quæ sane lavari debet propter acrimoniam à melle contractam, huic unguento minime convenientem. Galenus tract. 20. ad Glauconem, capite de curatione cancri, seu cancrosi ulceris, unguentum istud describit ab eo Alexandrini maxime diversum.

PLVMBI VSTI ET LOTI.]

Plumbum corpus est metallicum, lividum, terreũ, ponderosũ, modice particeps albedinis. Nec reperitur in fodinis

purum plumbum, cujuſcumque ſit colòris. Quod excoquitur triplex, ſcilicet nigrum, quod verum eſt plumbum: Cinereum, quod Fallopius lib. de metal ſeu de foſſi. cap. 22. Marcheſitam librariorum vel impreſſorum vocat: quod nihil aliud eſſe videtur quã ſtybiũ. Candidum, quod eſt ſtannum, & antiquorum plumbum albũ. Avicenna 2. Canone, cap. 2. duas tantum ſpecies definit. Plinius antiquis duplex eſſe ait (cum ipſe tria genera ponat) Nigrum & Cinereum. Nigrum fit ex lapide pyrite coloris argentei: nam pyrites ille argentei coloris argentum continet & æs: aliquando ſolum æs, aliquando argentum ſolũ, aliquãdo utrumque ſimul, aliquãdo argentum & plumbum nigrum, aliquãdo plura metalla, aliquãdo omnino ſterilis reperitur pyrites. Cinereũ vero diſtat à nigro & cãdido plumbo colore: eſtque quaſi ſui generis metallum, quod Græci, tum Latini ſcriptores ignoraſſe videntur. Quod candidum vere eſt plũbum, improprie à vulgaribus plumbum nigrũ appellatur. Candidum vero plũbum ſtannum illis dicitur. Tamen non ſunt eadem ut hactenus voluerunt ſtãnum & plumbum cãdidum. Nam ſtannum

num ex terra effoditur & in mineris invenitur in frusta divisum, testis Serapio lib.aggregat.capit. Femezeg.Sed plũbum nostrum candidum ex galena in quibusdam locis conflatur ut plumbum nigrum. Et ut vult Plinius lib.34.capit. 16. coquitur ex lapillis nigris candore varietatis, qui lapides nigri nonnullis locis magni reperiuntur:interdum vero ut arena, scribitque in Britannia,item in Gallitia provenire, cum in Gallitia minime fiat nigrum. Sed de plumbo & illius generibus & origine satis,si plura requiris consule Galenum lib. 9. Simplic. medicament, et Plinium lib.34. capit.16. 17.18. Dioscoridem lib.5.capit. 47. & 48. Georgium Agricolam & Fallopium. Nunc de ejus præparatione est nobis dicendum, quæ fit duobus modis: ustione & lotione. Vritur autem secundum Dioscorid. libr. 5. capit. 56. hoc modo. Super tenuissimas plumbi laminas fictili novo inditas, sulphur inspergito: additisq; rursus aliis laminis, interjecto semper sulphure, donec vas expleveris,succendito: flagrans autem jam plumbum ferrea rude versato, donec perfecte redigatur in cinerem, nihilque è plumbo non ustum hæserit: tum

demum obſtructis naribus extrahito: alioquin fumus plumbi maxime noxius ſentitur. Sic Dioſcoridis & Servatoris ſententia plumbum vritur, ſed hujuſmodi uſtio difficilis admodum nobis videtur propter damnum, quodque cinerem nigrum reddit, & depravat colorem unguenti ſi obſervare volueris. Illa ſequens uſtio quæ fit abſque ſulphure, perſacilis eſt, minimeque nocua. Vas fictile non vitreatum (ne inter urendum quid adhæreat) accipito, & furno fuſorio, ubi ſint carbones accenſi appone: idque fictile carbonibus ardentibus undique circunda, in eoque quantum plumbi volueris impone, & liqua: quod illico fiet. Prius tamen bis aut ter in aceto fortiſſimo plumbum extinguatur, quæ extinctio ſimilis eſt extinctioni lapidis calaminaris, & Tutiæ Græcorum: de qua vide infra in unguento deſiccativo. Liquato plumbo ignis augeatur & ferrea ſpatula ſemper agitetur, paulatim à lateribus vaſis ſpumam ejiciendo, quouſque totum in ſpumam devenerit, nihilque è plumbo uſto adhæſerit. Spumam autem illam, quæ veluti cinis, & revera cinis eſt, in dicto furno, ignem au-

gendo,

gendo, circumcirca concoques, donec colorem retineat album citrinitati permixtum. Hac enim methodo non nocebit, nec nigrum erit. At quia Alexandrinus plumbum ustum & lotum requirit, sic præparatum lavari debet, quamvis in eo mordacitas aut acrimonia nulla sit. Sed est intentio Alexandrini fortasse ipsum lavare, ut tenuius sit, & sic facilius permeet poros cutis, dum parti alicui applicatur, vel ut nova qualitas per ablutionem addatur, aut auferatur, vel ut corrosiva & acris vis in eo arte acquisita tollatur. Scio autem (ut prædixi) non esse acre neque corrosivum, nec edit effectum calidum aut siccum ante ustionem, sed ex sententia Galeni potius frigefacit & humectat. Quod si vero volueris ipsum lavare, hoc modo lavabis. Accipe cinerem plumbi tali modo, ut jam diximus factum, & illum in mortario marmoreo desuper parum aquæ cœlestis vel rosarum affundendo aliquot horis pistillo ligneo, vel spatula lignea agitato, donec aqua sit fœculēta vel turbida, quam dejicies in quoddam fictile, & aliam aquam iterum affundes, & prius tracta-

bis ac movebis, ſemper aquam turbidam & fœculentam dejiciendo in ſupradictum fictile uſui futuram, & aliam in mortarium itidem infundendo atque hæc toties repetes, donec pars ſubtilior plumbi uſti aſſumpta ſit cum prædicta aqua effuſa: craſſior autem pars, quæ reſidet in fundo mortarii rejiciatur tanquam plumbi ſit excrementum, nulliuſque efficaciæ. Tunc totam partem ſubtiliorem plumbi uſti, quæ cum aqua aſſumpta fuerat, quieſcere permitte, quouſque ea clara & ſincera videatur, & plumbum uſtum in fundo fictilis reſidere, quod ſub dio ſiccabis: ſiccatum ad uſum ſervabis. Alij hac lavandi utuntur ratione. Pulverem plumbi uſti in mortario infuſa aqua agitant, donec ea aqua plane ſit turbida, quam tum reſidere & clareſcere permittunt, & tunc demum ejiciunt, nec in alio vaſe conſervant: idque ſæpius iterant, dum aqua non amplius turbetur, ſed prorſus clara & indefœcata appareat. Tnnc denique quod in fundo mortarij reſidet, id ad uſum reponunt. Qua ex lotione ego quidem judico ſubtiliorem plumbi partem à craſſiore exacte ſeparatam non eſſe; nec id ſedimen
tum

tum auctoris menti respondere: neque pro facultate huic unguento adscripta, satis desiccare. Cum igitur à Medicis præscribetur plumbum lotum, sic priori modo lavabis, mutando tamen liquorem pro scopo compositionis, & intentione Medici..

POMPHOLYGOS VEL SPODII.] Pompholyx, Tutia Arabibus dicta. Vera autem Pompholyx cinis est metallicus, levissimus, qui ex æris, vel Cadmiæ favilla in summitate fornacũ, aut parietibus, vel etiam domunculorum, extra farinæ modo dispergitur, quod seplasiis Nil album vocatur, & à Germanis Nili pinguis: estq; is cinis candidus & usqueadeo levis, ut in auras evolare possit. Alii volunt quid album esse (quasi bullam seu ampullam, unde nomen apud Græcos sortitur) purũ pingue, ac leve: quod colligitur & fit in summitate fornacũ, differtque secundum diversitatem metallorum, & ratione locorum in quibus colligitur: ut si in oris fornacum, tum Cadmia capnitis: si à lateribus & summis cameris est pompholyx: pars quę in summitate depẽdet pompholyx etiam dicitur: pars vero quæ parietibus & pavimentis adhæret, spodium appellatur

 (ut

(ut ſœpiſſime in hac urbe, vico divi Martini, & in pluribus locis obſervavimus in fornacibus, ubi æs conflatur) differtque pompholyx ſola ſpecie, candore, vel levitate, non genere, à ſpodio. Siquidem ſpodium magis nigreſcit, & ponderoſum piliſque plenum eſt, tanquam excrementis collectis ab ærariarum officinarum, & fornacum pavimentis. Materia autem pompholygis & ſpodii eſt æs, vel lapis calaminaris, qui Arabice climia: & Græce cadmia dicitur. Probatur autem pompholyx Cypria, quæ ſuperfuſa aceto halitum æris præſtat, colore aliquantulum piceo, ſapore cœni, horrido, & ſtatim ſi fraudem non eſt experta flagranti impoſita carboni inferveſcit, & cœruleum colorem contrahit. Cujus ſecundum Dioſcoridem lib.5.cap.46. duo fuerunt genera. Unum ad æris colorem vergens, ſubpingue: alterum candidum & maxime leve. Candida enim fit pompholyx, quoties in perficiendo ære fabri præſtantius facere volentes detritam cadmiam cumulatius inſpergunt: namque leviſſima ſavilla, quæ defertur, in pompholygem coit. Hæc Dioſcorides, lib. & cap. citato.

CAP. XII.

Vnguentum Apoſtolorum.

℞. Terebinthinæ,
Ceræ albæ,
Reſinæ, Omnium ana ʒ xiiij.
Opopanacis &
Floris æris, Ambo-
borum, ana ʒ ij.
Ammoniaci, Pon-
dus, ʒ xiiij.
Ariſtolochiæ longæ &
Thuris maſculi, Am-
borum, ana ʒ vj.
Mirrhæ &
Galbani, Am-
borum, ana ʒ iiij.
Bdellii, Pondus, ʒ vj.
Lithargyrii, Pon-
dus, ʒ ix.

Infundatur bdellium in aceto vini & decoquantur in æſtate cum
Olei, lib.ij.
Et in hyeme cum lib. iij.

Lithargyrium (ut antea in Emplaſtris diximus) electum, tritum, & præparatum, in lebete cum ℥ ij. olei prædicti, ſpatio quinque horarum, aut ex nutriatur; deinde igni lento ad

mellis

mellis crassitiem, vel ad unguenti mediocriter duri formam coquatur, spatula semper agitando, ne in vasis fundo subsideat, subsidendoque uratur: quod ubi coctum, & ab igne depositũ fuerit, ceram in minutissimas partes divisam, & in reliqua parte olei liquatam, una cum resina confracta calide affundes & refrigerare permittes: ubi hæc refrixerint, ammoniacum, galbanum, opopanacem, bdellium (si molle sit, si vero siccum, in pulverem tenuissimum rediges, & in numero pulverum collocabis) arte soluta, & cocta in aceto aut vino, ut superioribus emplastris & unguentis solvendi & coquendi modum docuimus & cum terebinthina incorporata immiscebis. His itaque optime commixtis, & omnino refrigeratis, pulveres tenuissime per se tritos, ut aristolochiæ longæ, myrrhæ, thuris permiscebis, semper spatula agitando. Hoc itaque modo paratum habebis unguentum, addendo pulverem tenuissimum floris æris.

CAP. XIII.

Vnguentum martiatum magnum Myrepsi.

℞. Ceræ albæ, lib. ij.

Olei

Olei communis, lib. viij.
Rosmarini,
Foliorum lauri, sing. ℥ viij.
Tamarisis summ. ℥ vj.
Fol. Ruthæ, ℥ viij.
Fol. Ebuli,
Sabinæ,
Balsamitæ,
Ocymi,
Salviæ,
Polii,
Calaminthæ,
Artemisiæ,
Helenii,
Betonicæ,
Brancæ ursinæ,
Spargulæ apparinæ,
Herbæ venti, id est Anemonis,
Pimpinellæ,
Fol. Agrimoniæ,
Sum. absynthii,
Herbæ sancti Petri, sing. ℥ iiij ß.
Costi herbæ, id est Herb. sanctæ Mariæ,
Sambuci foliorum,
Sempervivi minoris,
Herbæ millefoliæ,
Sempervivi majoris,
Chamedryos,

Quin

Quinquenerviæ, vel plantaginis,
Centaurii,
Fragariæ,
Quinque folii, Singul. ℥ iiij ß.
Malvæ Silvest. rad.
Cumini,
Myrrhæ, Singul. ℥ iij.
Fœnugræci, Exag. ix.
Butyri Rec. ℥ j ß.
Seminis urticæ,
Violarum,
Papaveris albi,
Menthæ,
Rubiæ, Menthæ agrestis,
Lapathi,
Politrichi,
Cardiobotani,
Matrissilvæ, id est Caprifol.
Herbæ moschatæ,
Florum chamæmeli,
Scolopendrii,
Crispulæ,
Herbæ camphuratæ,
Styracis cal.
Medullæ ossium cervi, Singul. Exag. iij.
Axung. ursinæ,
Gallinæ &
Anseris.

Masti-

Maſtiches, Sing. ℥ j.
Thuris, ℥ ß.
Olei Nardini, ʒ ij ß.
Miſce pro unguento.

Herbæ recentes omnes, ſcilicet calidæ, & odoriferæ ut ſalvia, polium, calamentum, arthemiſia, abſinthium, & cœteræ aliæ ſimiles, poſtquam floruerint, vel in flore, vel poſt deperditum florem colligantur: quæ vero frigidæ & humidæ, ut duæ ſpecies ſempervivi, quinquenervia, & aliæ ſimiles, cum juſtam magnitudinem aſſequutæ fuerint, legantur: & à caulibus purgentur. Calidas & odoriferas ſeparatim à frigidis & humidis minutiſſime incides, ac probe contundes, poſtea eas omnes fictili ſtricti orificii cum lib. xiiij. vini odoriferi ſpatio octo dierum ad infundendum, una cum radicibus inciſis & tuſis, althææ & fœnugræci ſemine non contuſo, cineribus calidis appones, vaſe tamen obturato. Alii per ſe aliquot horis infundunt althæam & fœnugræcum ad mucaginem conficiendam: confecta autem mucagine, & poſtquam cera eſt liquata, refrigerataque, cum oleo conjungunt. Peracta autem infuſione in lebete ad mediæ

partis

partes vini consumptionem, igne lento decoques. Deinde oleum commune antiquum prædictum adjicies, & denuo omnia simul eodem lento igne concoques, donec totum vinum & aqueus humor herbarum in vaporem resolvatur. Tunc linteolo aspero calide transcolantur, herbas valde extorquendo, ut nihil olei remaneat in herbis: colaturæ vero statim ceram confractam, ut liquefiat, injicies: qua liquata butyrum, ursi, gallinæ, & anseris axungias adjicies: his omnibus liquatis, ab igne lebetem sepones, & medullam cervi impones, mox styracem calamitem cum pauco oleo nardino solutam addes & commiscebis, interdum tamen spatula lignea agitando: quibus optime commixtis omnino refrigeratis, pulverem tenuissimum myrrhæ & thuris desuper insperges: denique reliquum nardini olei infundes, & vase unguentario usui reservabis.

Cœterum notandum erit, Myrepsum Sect. 3. de unguentis num. 3, 4, 5. tres habere descriptiones præter istãc usualem: Paulum Æginetam lib. 7. cap. 8. & Aetium lib. 12. cap. 44. maxime diversas in simplicibus & ponderibus. Præ-

terea

terea Alexandrinus lib. de compositione medicamentorum secundum loca cap. 993. hanc habet usualẽ descriptionem, convenitque in simplicibus, in ponderibus vero minime, & ultra descriptionẽ hanc Myrepsi addit marathrum, nec axungiam anseris habet. Præpositus vero particula xx. lib. 2. herbam Tetrahit adjicit, & maturellam (quæ describitur à nonnullis pro moralla) præter descriptionẽ hanc, & anseris axungiam prætermittit, variatque in ponderibus quorundam simplicium. Fuchsius quoque, qui hoc unguentum usuale describit, diversæ est opinionis in quorumdam ponderibus. De simplicibus nihil dicemus: cum Dioscorides, Plinius, Fuchsius, abunde de his tractarunt. Si quis plura scire cupiat, legat auctores suprascriptos.

CAP. XIV.

Vnguentum ad scabiem.

℞. Butyri recentis sine sale,
Axungiæ porcinæ recen.
Succi fumariæ non depurati,
Sulphuris communis, ana ℥ j.
Misce, fiat unguentum.

Axungiam porci collectam & præparatã, secundum modum à nobis præscriptum in emplastris, una cum butyr recenti in mortario plumbeo pistill pariter plumbeo friando contundes Deinde sulphuris pulverem tenuissimum desuper insperges, semper pistillo ducendo, ut commisceantur: quibu rite mixtis guttatim succũ fumariæ af fundes pistillo agitando ut prius, done pars succi probè imbuta fuerit, hæc c que agitatio repetetur quotiescunqu succum alium immiscebis. Quantita verò præscripta succi pedetentim iniecta & omnino imbuta, spatio duarun horarum iterum totum ut rite succu permisceatur, & ab eis non separetu subagitabis, sicq; præparatum ad usum servabis.

CAP. XV.

Vnguentum Commitissæ ex Varignano.

℞. Corticum medianorum castanearum.
Corticum medianorum, arbori
Glandium, & Glandium.
Myrtillorum.
Caudæ equinæ.

Corti

Corticum ſabarum.
Acinorum uvarum.
Sorbarum ſiccarũ immaturarum,
Meſpillorum immaturarum.
Radicum chelidoniæ.
Foliorum prunorum ſilveſtrium
ana ℥j. ß
Terantur groſſo modo, & coquantur in
Aquæ plantag. lib.viij.
vſque ad conſumptionem medietatis, & tunc
℞. Ceræ novæ. ℥viij. ß.
Olei myrtillorum. lib.ij ß
Miſce, & lava oleum, & ceram cum ſupraſcripta decoctione novies, ſemper renovando aquam: & cum hoc factum fuerit.
℞. Corticum caſtanearum,
Glandium,
Corticum medianorum, arboris Glandium,
Gallarum. ana ℥.j.
Cineris oſſium cruris bovis.
Myrtillorum,
Acinorum uvarum,
Sorbarum ſiccarum, ana ℥ ß.
Trochiſcorum de Carabe. ℥.ij
Pulveriſentur ſubtiliter pulveriſanda

da, & cum prædictis cera & oleo lo-
tis cùm supra dicta decoctione fi-
unguentum. Hic finitur textus Præp-
siti: nunc accedamus ad veram metho-
dum conficiendi.

Vnguenti hujus conficiendi vera methodus.

Recentia simplicia secundum natu-
ram, quam in se habent (nam alia aliis
citius vel tardius recuperantur) tempo-
re & loco collecta, crassiuscule in mor-
tario æreo, cum pistillo ferreo, ordin-
trita in lib. viij aquæ plantaginis, a-
mediæ partis consumptionem coquan-
tur: ut cortex medianus arboris quer-
cini, acini uvarum, radix chelidonia-
mespilla, sorba, cauda equina, seme-
myrtillorum, pruni silvestris folia, cor-
tices fabarum, mediani glandium, casta-
nearum, cortices, & gallas: quæ omnia
ubi recte cocta erunt, duarum hora-
rum spatio in infusione permittes: si-
gnum autem perfectæ coctionis, & in-
fusionis tale est. Accipe gladium ma-
xime nitidum & politum ex ferro fa-
ctum, immitte in decoctum: si cum
extrahis sit lividius, & nigrescens cum
adhæsione & difficulter eluibili, tum
concoctio, & infusio perfecta & per-
acta

acta, quam infusionem mediocriter calidam velociter extorquendo colabis, & colaturam in novem partes divides: postea ceram minutatim incisam, una cum oleo myrtino in diplomate liquatam, & adhuc calentem lavabis cum prima parte colaturæ calidæ, agitando ac versando donec totum refrigeretur: deinde vase duplici liquabis, & refrigerare permittes aquam, quam subsidentem ex lotione deiicies: ea ejecta ceram iterum eodem vase, eodemque igne liquabis: & cum secunda parte decocti calidi lavabis, tractando ut prius, donec frigescat: & aquam ut antea dejicies; sicque septies etiam iterabis, donec nulla pars prædictæ coluræ supersit: postremo totum probe ablutum in diplomate liquabis, & pulverem tenuissimum ossium cruris bovis duriter agitando immiscebis: paulo post pulveres sequentium per tenues & in polinem redactos ordine, ut corticum mediorum arboris quercini, & mediorum corticum glandium, corticum mediorum castanearum, gallarum, sorborum, mespillorum, seminum myrtillorum, acinorum uvarum, asperges; desuper trochiscos de ca-

rabe celeriter & diu agitando conjunges, & subiges: subactaque omnia simul & complexa ad consistentiæ spissitudinem servabis ad usum. In hoc animadvertendum, Varignanam in pulvere hujusce unguenti sorba & mespilla omisisse, & Præpositum in eodem pulvere mespilla, & gallas in decoctione, quas addere oportet post caudam equinam, cum decoctionem parare volueris, & mespilla addere convenit cum pulvere dicti unguenti. Præterea Varignanam in suo textu scribere: *Et lavetur novies cum aqua prædicta semper innovando quacumque vice, & quæ sequuntur.* Revera melius (pace aliorum dixerim) ac præstantius esset hoc unguentnm, si non ejiceretur decoctum, sed potius cum eo misceretur: quod certe fieri non potest, si in promptu egeamus: si vero cõservare velimus, nequimus, quia brevi temporis spatio ob decoctionem corrumperetur, & rancidum redderetur. Cæterum fieri non potest hoc unguentum nisi mense Septembri, vel Octobri propter multa simplicia, quæ tãtum his duobus mensibus in suo statu reperiuntur. Caveat porro pharmacopœus, ne in grumos abeat hoc unguentum, cum vo-

let

let ſimplicia probe trita miſcere: & ſi forte fortuna abeat in grumos, ſic reſtituere poteris. Accipe ſetaceum & pedetentim unguentum grumatum, ſuperdictum ſetaceum ſpatula lignea fricando tranſcola, donec totum ſit tranſcolatum. Hoc namque pacto reſtitutum erit, nec ulli grumi apparebunt.

CINERIS OSSIVM CRVRIS BOVIS.] Oſſa in cineres redigenda aptius interlunio colligi debere videntur: quod nimirum ad lunæ incrementum aut decrementum corporis totius partes immittantur. Nec vero dubium eſt, quin interlunio ſolidæ omnes partes quam plenilunio, longe ſint ſicciores. In cinerem autem hac methodo oſſa convertes. Vas figulinum accipito, & oſſa recentia, confracta carne carentia cruris bovis in dicto vaſe imponito, vaſque furno fuſorio circumcirca carbonibus accenſis adaptetur, & illic dimittatur, ſemper ignem continuando eouſq;, dum dicta oſſa alba appareãt, abſq; ulla nigredine, & friabilia digitis ſentiantur, quod vere ſignum aduſtionis eſt: ſic aduſta diligentiſſime ad uſum illa ſervabis. Sicq; cætera oſſa

animalium ad cinerem faciendum debent eligi & adufi.

OLEI MYRTILLORVM.] Scilicet lib.ij. ß. Alij maſtichinum & myrtinum æquis partibus ſumunt. Magna eſt contentio inter nos pharmacopæos, cum hoc unguentum parare volumus, quale oleum myrtinum debeamus accipere compoſitum, an ſimplex, cum de eo nihil determinet Varignana, neque in ſuis tractatibus aliquam olei myrtini deſcriptionem aſſignarit. Quidam ſentiunt, & affirmant accipiendum eſſe oleum compoſitum myrtinum ex deſcriptione Alexandrini, quod Præpoſitus in ſuo diſpenſatorio ſcripſit: ſed (pace dixerim) perperā: nam oleum myrtinum compoſitum Alexandrini continet crocum, quod maxime menſes educit: quod certe eſt præter ſcopum: nam ad ſiſtenda menſtrua unguentum componitur: ergo myrtinum oleum compoſitum à Nicolao Alexandrino & Præpoſito minime conferet: nam poros & meatus reſeraret & aperiret & non aſtringeret, ratione croci: ſed ſua ſe tuentur ratione, dicentes: unguentum omnino aſtrictivum eſſe, nec ſimplicia aſtringentia, quæ in unguento ponuntur,

nuntur, poſſe operari, & ad partes deferri, ſine aliquo vehiculo & deferente: & hac ratione oleum myrtinum compoſitum uſurpant, ut crocum ſit pro vehiculo, & vim aliorum ſua ſubtilitate deferat, & ad agendum excitet. Tamen (ſalvo eorum judicio) exiſtimo, ut Luminare majus ſect. 10. de ceratis & unguentis teſtatur, ſimplex oleum à Meſue deſcriptum 12 diſtinctione de oleis ſumendum, cum ſcilicet non ſit opus dilatatione meatuum, ſed omnimoda aſtrictione. Nihilominus medicorum ratiocinantium eſto ea de re judicium.

CAP. XVI.

Vnguentum Aregon Myrepſi.

℞. Roſmarini,
Sampſuci,
Rad. Iridis recent:
Serpilli,
Ruthæ,
Radicis malvæ agreſtris. Singul. ℥ ij. ʒ ij, & quartam partem.
Foliorum lauri,
Salviæ,
Sabinæ, Singul. ℥ j. ß.

 Lau-

Laureolæ, ℥ iiij. ß.
Calaminthæ, ℥ iij.
Maſtiches,
Thuris, Singul. ʒ iij.
Pyrethri,
Euphorbij, Singul. ℥. ß.
Zinziberis,
Piperis communis,
Singul. ʒ vj.
Olei moſchati, ʒ ij.
Petrolei aut pro eo olei ſanctæ Barbaræ, ℥. ß.
Adipis urſini,
Olei laurini Singul. ℥ j. ß.
Butyri, ℥ ij.
Olei communis, lib. ij. ß.
Ceræ albæ puræ, lib. ß. & quartam partem. Fiat Vnguentum.

Fictili tecto radices malvæ ſylveſtris & iridis per ſe minutim inciſas, ac probe in mortario lapideo cum piſtillo ligneo tuſas impone: deſuper ſeparatim quæ ſequitur in idem mortarium velociter trita conjice, ut rutham, laureolam, ſabinam, ſalviam, lauri, ſampſychi, & calaminthæ folia, ſerpilli, & ſummitates roſmarini: ſpatioque octo dierum una cum vini rubri lib. viij. ad macerandum appone. Nonnulli tepidum aut calidum

calidum esse liquorem insusionis volunt: tamen melius, vinum non incalescere igne ne acescat: nam per se ignem sine calore satis retinet, & exprimit, & fervorem excitat. Sequenti vero die ad mediæ partis consumptionem igne lento concoque, spatula aliquoties ducendo. Deinde oleum commune prædictum in decocto adiicies (alii oleum, butyrum una cum adipe ursino, & vino, coquunt) rursusque omnia coques donec totum vinum evaporatum, & aqueus humor herbarum in vaporem resolutus fuerit, ut prius, spatula inter coquendũ movẽdo. Postea probe per saccum cannabinum torquẽdo calide exprimes. Expressioni vero butyrum, & ursinum adipem ut liquentur addes. His liquatis iterum igni lento expressionem mixtam cum butyro & adipe ursino appones, statimq; ceram divisam ut liquefiat injicies: liquatam ab igne depones: mox oleum laurinum moschatum seu moschelinum, & petroleum commiscebis, celeriter subinde movendo, quousque omnia rite frigescãt. Vbi omnia refrigerata fuerint, pulveres tenuissimos radicũ pirethri, zzibeberis & piperis insperges, desuper thuris

& mastiches pulverem separatim factum permiscebis: ultimo euphorbium quam tenuissimè pulverisatum addes. Totum subactum ad usum recondes. Maxime autem in hoc parando unguento notandum, nullam descriptionem nos debere accipere præter istam quæ à Myrepso descripta est: nam is & primus illam descripsit, & dosis simplicium optimam habet proportionem, respectu aliorum qui hanc descripserunt. Præpositus quoque hanc describit, & radices jari loco radicum iridis, radices sciscidis & folia, loco radicum malvæ silvestris usurpat: bryoniã præterea & utramque policariam ultra hanc Myrepsi adiungit: atque ingredientium pondera ex dimidio contrahit: quorum fere nullum respondet ponderi à Myrepso descripto. Rursus simplicia Præpositus in oleo absque vino infundit, proclivi quidem lapsu, attamen non negligendo. Itaque id unguentum componentes falli nolumus.

CAP. XVII.

Vnguentum de Tuthia.

℞. Pompholygis lotæ, ℥ vj.

Stibii crudi uſti & loti, ʒ j.
Sacchari candi, ℥.ß.
Trochiſcorum alb. ʒ ij.
Butyri recẽtis ſine ſale loti, ℥ vj.

Miſce, fiat unguentum cum lapide calaminari.

Confice ſic. Sumito lib. ß. lapidis calaminaris, eamque in quatuor partes divide, ita ut pars una non excedat aliam. Prima autem pars igni incandeſcat: ignita in lib. j. aquæ roſarum, in qua prius coxeris foliorum ruthæ noſtræ hortenſis ℥. ß. & foliorum fœniculi ℥ j. extinguatur. Tum illa prima lapidis pars abjiciatur. Deinde altera pars in eodem igne ardeſcat, & in prædicta aqua roſacea reſtinguatur, & reſtincta dejiciatur. Rurſus aliæ duæ partes, quæ reſtant, ut prius ſigillatim incendantur, & in aqua ſupradicta extinguantur & ejiciantur. Tunc aqua per lineum pannum nitidum coletur: ac in ea demum aqua, butyrum pluribus ante vicibus aqua communi elotum, (aquam illam communem ſemper abjiciendo) longa agitatione penitus commiſceatur: quod fiet, ſi aqua ſenſim butyro inſtilletur, non autem affatim affundatur: alioqui enim vix unquam coincorpo-

rantur: dein pompholygem & ſtibium optime levigata (ut in ſuperioribus emplaſtris & unguentis levigationis modum docuimus) butyro ita cum dicta aqua roſacea incorporato inſpergas: deſuper ſaccharum candum rite pulveriſatum, & albos trochiſcos in pollinem redactos adjice. Omnia denique commixta ac ſubacta, ſcilicet in mortario plumbeo cum piſtillo ex eadem materia facto, ad uſum in pixide figulina vitreata ſervato. Adde ℥ j. ß. olei amygdalarum dulcium ſine igne & recens facti, pluribuſque vicibus cum æquis partibus aquæ roſaceæ & fœniculi loti ſemper inter lavandum abjiciendo aquam pro quacunque vice.

STIBII CRVDI VSTI ET LOTI.] Stibium, ſtimmi, antimonium, unum & idem ſignificant. Eſt autem ſtibium ſecundum Plinium lib. 33. capit. 6. lapis ſpumæ candidæ & nitentis, non tamen tranſlucentis. Braſſavolus vult eſſe plumbum. Alij lapidem plumbarium referre, magis tamen quam plumbum nitet, aut radiat, & magis friabile, manuſque tingens. Alii marcheſitam librariorum vel impreſſorum. Mathęus Sylvaticus lib. pandectarum

rum capit.24.ait eſſe venam terræ ſimilem plumbo. Serapius lib. aggregat. cap. aitruad. idem cum Sylvatico ſentit. Alii metallum eſſe aſſerunt, eo quod eliquatur ut alia metalla, & quia facile cum ipſis metallis commiſcetur. Ex his variis ſententiis , Plinii ſententiam ſequamur. Nam ſtibium eſt de genere foſſilium quæ ſapiunt naturam , & metalli & lapidis. Quatenus enim liquatur ut metalla, ſapit naturam metallorum: quatenus autem friabile, eſt revera de genere lapidis & metalli. Duo ejus genera reperiuntur, mas & fœmina. Mas horridior ſcabriorque, & minus ponderoſus minuſqne radians: Fœmina contra nitet, friabilis, fiſſuriſque non globis dehiſcens. Quæ diſcrimina poſſunt optime demonſtrari in fodinis Germaniæ, ubi maxime abundat, ut à quodam amico Germano doctiſſimo accepi, ſe utrumque fodiſſe. Præſtat autem ſtibium fœmineum, ſplẽdidiſſimum , nitidum , in confractu cruſtoſum, terræ & calculorum expers. Raro hodie foſſile in noſtris officinis habetur: excoctum vero ſeu eliquatum habemus. Vritur & lavatur in hoc unguento ad ſulphureas & acres partes

tollendas: vel propter acredinem à ſulphure contractam, ne oculis noceat: quæ uſtio & lotio talis eſſe debet. Quãtitatem quam voles ſtibij accipito, & in polinem tenuiſſimum reducito: deinde in fictile amplum non plumbatum, conjicito: tum demum carbonibus accenſis ad calcinandum caute exponito, quoad corpuſcula illa, quæ emicant, ſplendorem ſuum amiſerint, vaporque ſulphuris omnis ceſſaverit, fœtorque obſoleverit, interdum tamen ſpatula ærea movendo. Stibium autem in calcem converſum ſubalbicantis cineris faciem contrahet. Tunc ℥ iiij iſtius calcis in pollinem rediges, & in vini albi veteris ℥ ij. in fictili cooperto trium horarum ſpatio macerabis: & infuſione peracta vinum evaporabis paulatim ſuper cineres calidos ad ſtibii ſiccationem, ſiccatum itidem in ℥ ij. lactis mulieris pariter macerabis, & lac ſuper cineres calidos conſumes. Conſumpto lacte & ſtibio ſiccato aliud lac affundes, & iterum ſtibium macerabis eodem igne ad lactis conſumptionem, conſumpto lacte & deſiccatum ſtibium novies vel decies in æquis partibus ſtillatitiæ aquæ roſarum & fœni-

& fœniculi, ſemper abjiciendo aquam & aliam ſtillatitiam innovando in mortario lapideo ablues: atque hoc modo ſtibium uſtum & ablutum & ſiccatum reconde, tuteque ad oculorum affectus utere. Dioſcorides lib. 5. cap. 59. alium torrendi & exurendi modum docet. Plinius quoque loco ſupra citato aliam methodum torrendi exhibet, hos tu modos poteris diligenter obſervare, ſi noſtra non ſufficiat præparatio.

Cœterum hujus unguenti nulla eſt authoritas, ſed experientia multa & bona.

SECTIO III.

CAP. I.

De Oleis in genere.

QVandoquidem ſuperiori ſectione unguenta univerſa, quæ paſſim in officinis habentur in uſu, qua fieri potuit diligentia & brevitate à nobis explicata ſunt: nunc ordine ad oleorum conficiendorum methodum accedendum: quorum ſubjectum & ma-

teria eadem eſt cum materia unguentorum & emplaſtrorum, cum ex quacunque re habeatur oleum ſive ſimplex, ſive compoſitum. Simplex aliquando ſponte, ut petroleum: aliquando per expreſſionem ſine aliqua additione, ut ex ſimplicibus quæ ſuccum habent oleaginoſum, quemadmodum ex tritis olivis maturis, vel immaturis, quod maxime & proprie oleum à Sylvio appellatur: item ex nucibus, amygdalis, ſeminibus, & conſimilibus, ab eodem Sylvio oleum abuſive nuncupatur. Compoſitum vero aliquando per infuſionem in oleo communi, vel in alio, in ſole, vel igne lento coctum cum expreſſione fit: ut roſatum, violatum, chamæmelinum, anethinum & ſimilia. Aliquando per reſolutionem coctione & expreſſione, ſine ulla additione, ut oleum ovorum, de frumento. Aliquando per artem chymiſticam, hoc eſt, per aſcenſum, vel deſcenſum, ut oleum de cera, butyro, axungiis, lignis, ſeminibus, & conſimilibus. De quibus omnibus nobis eſt agendum, dempto oleo communi, ſeu maxime proprio, quod omnibus notum eſt. De aliis igitur

tur quantum rei ſcopus & ratio exiget dicemus.

CAP. II.

De Oleis in ſpecie.

Oleum Amygdalarum dulcium à Meſue deſcriptum 12 *diſtinctione de oleis.*

℞. Ex amygdalis mundatis ab utroque cortice quantitatem quam volueris.

Et tere contritione ultima, & fac paſtones ex eis, & dimitte in loco calido per ſpatium circiter horarum quinque, deinde iterum tere, & pone in zaynari, & ſtringantur, & exprimantur & emanabit oleum. Si autem in vaſe duplici circiter per horæ ſpatium coxeris, deinde expreſſeris in zaynari, emanabit abundantius. At ſi amygdalis tritis ſacellos impleveris, & ſub cinere calido, aut arena calida inter pannos ſepelieris, & poſtea expreſſeris, abundabit oleũ. Modus operationis alius eſt. Malaxentur in tina, ſicut paſta malaxatur, & ſit domus in qua malaxãtur, calida, & fundatur deſuper aqua calida parum, & ſtet pila ſeu mortarium

declivis

declivis ubi emanat oleum : & dum sic expresseris abundabit. Torcularis autem planta inferior sit, habens concavitatem & emunctionem in parte decliviori, & in inferiori parte sit globus juxta formam capacitatis concavitatis, ut sigillet omni hora ambitu vacui. Hic ergo erit modus formæ ejus.

Amygdalarum dulcium, quæ recentes sint, amplæ, dulces, nec rancidæ, à cute menbranosa expurgatarum lib. j. vel ij. vel iij accipe : eas in mortario lapideo nitido, pistillo ligneo, contritione ultima contunde (alii in mortario æreo illas contundunt) deinde panno aspero canabino involve & in zaynari, id est, torculari ad exprimendum inter moras vel paulatim imponito : ne si subito & violenter comprimas, oleum sit turbidum & fœculentum : hoc namque modo oleum pellucidum, admodumque dulce habebis : quo recenti & non antiquato ad internas & externas corporis partes uti poteris, quia vetustate ob aëris intemperiem incalescit.

AMYGDALIS MVNDATIS A VTROQVE.] Purgantur amygdalæ, ut purius fiat oleum à cute mambranosa sic.

Tor-

Torreantur & deſiccentur in amplo fictili, aut in ſartagine cum quadam quantitate furfuris mundi igne lento, manu verſando atque agitando, donec cortex findatur & rumpatur calore: deinde cribrare oportet, ut à furſure purgentur: tum in ſacculo ex linteo novo & aſpero confricare, & confricando à cortice mundabuntur. Alii habent aquam puram frigidam in fictili mundo, & in ea amygdalas dulces ſpatio ſex horarum ad macerandum imponunt, quas poſtea facile manu denudant: ubi denudutæ fuerint, inter duo linteamina ſpatio trium aut quatuor horarum deſiccari permittunt: poſtea oleum in modum prædictum conficiunt. Vterque modus optimus ſed prior altero excellentior. Cæterum minime dubium eſſe debet, hoc genus olei in quotidiano uſu eſſe, necnon ab omnibus Medicis quotidie præſcribi. Neceſſarium ergo erit amygdalas diligenter præparare, ne propriam & inſitam qualitatem deperdant: quæ (auctoritate Meſuæ eadem diſtinct. Præpoſiti lib. 2. particula 13. Fucſhii lib. 2. ſect. 14. Matheoli lib. 1. capit. 33. in Dioſcoridem) poſſet facile immutari.

Si

Si igitur amygdalæ calefiant, in oleo extrahendo vel in aqua calida calorem contrahet oleum, quæ levi momento vel temporis successu calorem illi possit conciliare, aut ranciditatem, cum temperatum esse debeat: tantumque abest ut tum leniret, cum partes potius, quibus apponeretur, calefaceret. Quare (salvo meliori judicio) præstantius & expeditius erit methodo à nobis præscripta illas parare, deinde oleum conficere: quæ ratio facilis est & excellentior, quam quæ à Mesue & aliis describitur: illaque adeo quotidie in officinis usurpatur, eodem modo paratur

Oleum
- E Nucibus,
- Avellanis,
- Persici Nucleis,
- De Cerasis,
- De Nuce Indica,
- De Pineorum Nucleis,
- De Sem. papaveris,
  - Lactucæ,
  - Cucurbitæ,
  - Cucumeris,
  - Melonis,
  - Citreoli & similium.

Oleum

Oleum Laurinum, ut Mes. & Dioscorides, sic conficitur.

Bacchæ Lauri maturæ, & recentes terantur in pila, ex aqua in lebete coquantur, post torculari plano, non cavo exprimantur in vas subjectum, in quo Oleum aqua supernatans colligitur. Affusa calente aqua iterum terantur, & exprimantur torculari à nobis præscripto, & reponatur.

CAP. III.

Et ita Oleum Ovorum ex 12 distinctione Mesuæ.

Accipe vitella ovorum elixatorum circiter xxx.

Et comminue ea manibus, & pone in sartagine lapidea, & frige super ignem, movendo cum ligneo aut ferreo cocleari, donec rubescant, & resolvatur ab eis oleum. Et tunc exprime ea cum cocleari, & manabit abundantius.

Ova recentia gallinacea accipiantur, quæ in aqua calida probe igni indurare facies, non autem in cineribus calidis (ut efficacius efficiatur oleum) illaque manu decorticabis,

& al-

& album auferes, vitellosque illorum manu vel spatula lignea confricatos sartagine figulina, flagrantissimo igni apposita, rursus spatula lignea (non autem ferrea propter nigredinem) assidue celeriterque undiquaque agitando, eousque dum assi vel tosti sint, vel in chylum æquabilem pervenerint. Tunc subito & sine mora linteo rudi calido involve, & torculari immitte: quod statim expresseris oleum, flavum emanabit, quod repones ad usum. Hoc ita extractum, quia crassum & maxime terrestre est, potest subtilius fieri (nisi scopus auctoris varietur) si cucurbita aut retorta, in quam oleum imponitur, bene cum recipiente lutata & obturata (ne spiritus in auras effluant) cum aqua vitæ & sale fusili (ad fæces retinendas, ita ut eadem aquæ & salis fusilis quantitas sit, in arena vas ad distillandum apponatur. Apposito vasi pro animi arbitrio ignem subdito, & continuato, donec totum oleum distillatum sit. Revera si spectemus scopum istius olei, rectificatio hæc minime fieri debet, sed potius absque rectificatione uti debemus.

CAP.

CAP. IV.

Oleum de terebinthina simplex ex thesauro Evonymi Vsuale.

Accipe terebinthinæ claræ quantum videbitur.

Cineris è ligno duro aut forti, ℥ iij. ne elevetur distillando.

Et in retorta fornaci accommoda, principio fiat ignis lentus ad humiitatis dissolutionem, postea augeatur gnis ad olei distillationem.

Oleum terebinthinæ fieri potest arte hymistica, in cucurbita vitrea cum caitello rostrato, vel in retorta: ita ut trumvis vas terebinthina sit semipleum, absque arena, aut cine re è ligno uro, & optimè obturatum cum reciiente amplissimo, vt spiritus libere spaari possint (alioquin vas rumperetur) ucurbita vel retorta terebinthinam ontinens, vasi arena pleno imponatur, c super furnum quadratum adaptetur t distilletur. Tum ignem mediocrem ıcito, & continuato, donec ex lib. j teebinthinæ ℥ iiij olei clari ac albi haueris. Tunc ignem parum augebis, ontinuando, quousque tibi sit ℥ ij. olei subrufi,

ſubtuſi, aureique coloris ac lucidi. Pr
terea rurſus ignem augebis, dum rur
iterum ℥ ij ß olei rubri croceique co
loris & clari effluant.

Hac enim methodo tria genera o
terebinthinæ arte & induſtria facta h
bebis. Tandem hoc unum operan
erit notandum, ut pro quacumque ig
auctione recipiens permutetur ad ol
diverſa è terebinthina recipienda, q
diligentiſſime in vitreis vaſis obtura
ſervabis, & cum opus fuerit uteris.

CAP. V.

Oleum Roſ. completum Meſuei.

℞. Roſar. rub: recent: & compl
tarum, ſcilicet apertarum, q. ſ.

Oleo ex Olivis vel Seſamino recen
ti, & aqua fontana aliquoties loto, m
cera in vaſe vitreo, diebus ſeptem in
ſola: coque tribus horis in vaſe dupli
ci. Expreſſis foliis, & abjectis, nov
impone: inſola iterum dies ſeptem
coque ut prius: tertio idem fiat. Dein
de aquæ infuſionis roſarum dictæ i
Syrupis quantum eſt Oleum, miſce
opercula, inſola dies quadraginta; po
excola, & iterum diu inſola.

Sin

Sint folia pro qualibet libra Olei ad pondus ſex unciarum vel quinque ſaltem. At Dioſcoridis tempore in lib. j ß. lib. ß. ponebant. Sint folia exungulata, jubente Dioſcoride; fit enim Oleum validius: portio enim illa alba incocta exſiſtit, & vim aſtrictoriam in ſe continet. Sed dicant mihi quæſo Seplaſiarii, quiſnam eſt illorum, qui hæc omnia agat? Quis enim Oleum abluit? Quis ter Roſas immutat? Quis decoquit illas diplomate? Quis infuſionem addit? Dii immortales, quid magis impium, & iniquum quam ægrotantium afflictorũ, & dolore acerrimo, ac ardenti inflammatione excruciatorum ſanitatem impedire; imo & ſœpe affectus illos augere? Ab acri enim oleo minime abluto, & à pauca Roſarum quantitate quæ ſemel immergunt, & in ipſo macerant, Oleum imperfectum evadit: at ſi forte fortuna ter Roſas novas in Oleum injiciunt, completum vocant: ſi unica vice, ſimplicem dicunt, ſpernentes Meſuei decreta. Arbitror tamen aliquem probum virum inveniri illius mandata ſervantem.

Oleum Roſatum Omphacinum.

Hoc ex Olei olivarum immaturarum,

rum, & ſoliis Roſarum nondum aperta-
rum conficitur.

Arbitror ego à pauciſſimis compo-
hoc Olei genus ad Meſuei mentem.
Pro immaturo enim, magis ignavia
quam avaritia ducti maturum ſumun-
Oleum.

Idem modus operationis eſt cum
Oleo Violaceo, ex floribus.

Abſinthino, cujus ſummitates ca-
pe,
Anethino,
Rutaceo,
Majorano,
Nardino,
Menthino,
Papaverino, ex capitibus, foliis
& floribus,
Chamæmelino,
Liliaceo,
Cheirino,
Sambucino,
Nenupharino, &c.

℞. Olei Olivarũ maturi loti lib. ij ß.
Comarum Abſinthii, vel Lilio-
rum flor. vel
Chamæmeli lib. ß. Alij ℥ iij.
Vini Rub. vel Succi ejus, vel
decoctionis ℥ vij ß.

Qua-

Quæ conficiantur eadem methodo, qua usi fuimus in Oleo Rosato cõpleto.

CAP. VI.

Oleum de Cotoneis Mesuei.

Accipe carnium cotoneorum tritorum

Cum cortice suo, quibus medietas accidit maturationis.

Succi eorum ana Partes æquales.

Olei ex olivis incompletis, quantum suffic.

Et pone in vase vitreo per dies quindecim ad solem, deinde coque in vase duplici per horas quatuor: post illud fiat permutatio cotoneorum, & succi eorum: fiat sicut diximus bis, vel ter, deinde cola & reconde.

Cotonea poma lanugine detersa rotunda & odorata pene immatura, aridisque locis nata ad hunc usum laudat Plinius: quæ cum corticibus infusionem, & succum parandum in scobem tenuem cum lima lignea radere oportet: deinde in panno canabino, rudi, celeriter torquendo, ut emanet succus exprime. Expressum, & pariter scobem tenuem non expressam, quantitate ido-

nea , una cum olei quantitate præſcri-
pta, xv. dierum ſpatio ad macerand-
in fictili cooperto ad ſolem expone-
Macerata in diplomate, ad ſucci humi-
dique conſumptionẽ decoquantur. De-
coctione facta torquendo colentur: &
colaturæ ſuccus recens ac recentia co-
tonea, ut prius præparata, dicto ficti-
cooperto immittantur, & rurſus toti-
dem diebus inſolentur, & eodem ign-
ſupradicto ad humidi peremptioner-
coquantur. Poſt coctionem & colatio-
nem, alia cotonea atque ſuccus expreſ-
ſus colaturæ injiciantur, & ſuperio-
doctrina inſolentur & coquantur. I-
dem, ſi præſtantius vis habere oleum-
bis aut ter dicto modo repetes. Poſtre-
mo colatum repones: eritque conſtan-
& certa ejus facultas.

CAP. VII.

Oleum Irinum Meſuæ xij. diſtinct. de oleis, Vſuale.

Accipe radicum Ireos quantitate-
aliquã & florum ejus duplũ, ſunt lib. i-
Aquæ decoctionis radicũ ejus quo-
ſuffic. lib. ij.
Et funde ſuper ea

Oleum

Oleum ſeſaminum aut de olivis maturis quantum oportet.

Et decoque in duplici vaſe, deinde permuta radices & folia liliorum, & fac ut diximus de oleo roſato.

Radices recentes tempore & loco collectas minutiſſime inciſas ac velociter in lapideo mortario cum piſtillo tuſas, una cum floribus recentibus mediocriter tuſis, in oleo ſeſamino, fictili cooperto impone (aut oleum commune olivarum dulce, inſalſum ac maturum accipe) ſpatioque vij. dierum calidè macerabis: deinde in diplomate ad humidi radicum & florum conſumptionem coquantur: denique calide torquendo vehementer exprimãtur. Tunc tantundem radicum & florum ſimili modo tuſorum, in expreſſione colata eodem vaſe obturato immitte, ac rurſus inſolari per dies ſeptem dimitte. Poſthæc ut prius prædicto igne ad humidi conſumptionem percoquito; deinde extorquendo calidè comprimito, radiceſque unâ cum floribus ſiccis abjicito: & tantumdem recentes contunde, & in oleum colatum impone una cum aquæ decoctionis radicum quantitate prædicta, eodemque fictili

 cooperto

cooperto ſoli ad macerandum dierum ſeptem ſpatio expone. Peracta maceratione, igne levi, hoc eſt, in diplomate vel cineribus calidis percoque, ut tota radicum humiditas, florum, & aquæ decoctionis radicum conſumatur. Humiditate conſumpta canabino panno calide oleum tranſcoletur, colatum vero optime coopertum ad uſum conſervetur.

Cæterum neminem latere debet Alexandrinum capit. 718. hoc deſcribere, & pariter Myrepſum nu. 30. variantq; ab iſto. Dioſcorides lib. 1. cap. 55. pretioſiſſimum habet, ſed nobis factu ob ingredientium inopiam impoſſibile. Præterea notabimus ad decoctionem prædictam faciendam radicum ireos ℥ xij. cum aquæ fontanæ lib. iiij. ß. ſufficere: totumque ad medias coquere licet, aut paulo plus. Atque hæc ideo monui, vt nihil tyrunculi temere agant.

CAP. VIII.

Oleum maſtichinum Meſuæ.

Accipe olei roſati. ℥ xij
Maſtiches. ℥ iij
Vini boni auſt. ℥ viij. in alio ℥ iiij

Decoqu-

Decoque ſicut primum ad vini conſumptionem.

In vaſe æreo vel fictili maſtichen electam craſſiuſcule pulveriſatam, una cum oleo roſato, & vino rubro auſtero (propter aſtrictionem & confortationem) ad coquendum in diplomate pone, ſpatula movendo, donec vinum ſit omnino conſumptũ, quo conſumpto oleũ tranſcoletur, & vſui ſervetur. Notandum Præpoſitum 13. particula lib. 2. eas duas à Meſue deſcriptas recenſere: alteram præterea Alexandrini ex cap. 35. deſumptam. Myrepſus duas etiam deſcriptiones aſſignat. Sect. 16. nume. 38. & 39. omnes ab alijs invicem differentes ſimplicibus & ponderibus, & maxime ab iſta, quæ in uſu quotidiano eſt ex Meſuæ deſcriptione.

CAP. IX.

Oleum de euphorbio Meſuæ.

℞ Euphorbii rec. ʒ. ß.
Olei de cheiri. ℥. v.
Vini odoriferi tantumdem.

Decoque uſque ad vini conſumptionem, & utere.

Recens euphorbium accipito: ſi au-
tem recenti careamus, veteris dup
vel tripla eſſe debet proportio. Illu
in tenuiſſimum pulverem reducito: ſe
inter pulveriſandum pauco vino aſper-
gito, ne nares feriat. Pulveriſatur
una cum oleo, vinoque rubro, lento ig-
ne, vaſe duplici, ſpatula movendo a
conſumptionem vini prædicti deco-
quito. Coctum nec colatum ad uſum
reconde.

Maximè hic notandum, Galenum i
fine lib. 2. pharm. pro vario ſcopo o-
leum de euphorbio parare. Sic enim
inquit, ſi euphorbium invalidum ſit, vè
ſi vetus eſt ut bimum, trimum, & jam
pallidum, aut flavum, ʒ. vj. ſi ſenſus in
auribus vel parte alia eſt acerrimus mi-
nus, ſemiunciam vel ʒ. iij. ſi obtuſus,
validi euphorbii ℥. ß. vel ʒ. v. præ-
ſertim ſi affectus eſt contumax, ut alo-
pecia, licet apponere. Quocirca dili-
genter attendat Pharmacopœus ele-
ctionem veram euphorbii, antequam
iſtud oleum conficiat, ut poſſit hanc
compoſitionem rectè parare. Cæterum
notabimus, Galenum lib. 2. de compo-
ſit. medicament. ſecundum loca, o-
leum commune maturum ad lib. i. ca-

pere

pere in quantitate prædicta euphorbii, illudque minuere aut augere pro ſcopo vario, eodem modo procedendum eſt cum Oleis

De piperibus

De Nardo ſimp.

De Caſtoreo Simp. & aliis.

CAP. X.

Oleum coſtinum Meſuæ.

℞. Coſti amari. ℥. ij.

Caſſiæ ligneæ. ℥. ſ.

Extremitatum ſampſuci. ℥. viij.

Vini odoriferi quantum ſufficit ad infundendum noctibus duabus.

Olei ſeſamini. lib. iij.

Decoquantur ſicut oleum nardinum horis ſex.

Radix coſti, & caſſia lignea ſimul probe concaſſentur & in vino odorifero una cum extremitatibus ſampſuci viridis craſſe contuſis, fictili novo cooperto ſpatio horarum quatuor, ad ſummum ſex, ad infundendum ſuper cineres calidos imponantur. Alii ſpatio unius diei ſimplicia infundunt: una cum oleo ſeſamino aut ejus ſuccedaneo:

neo: & in diplomate omnia ad humidi consumptionem coquunt: vbi cocta fuerint calide exprimendo transcolant. Colatum vero oleum ad usum reservant.

CAP. XI.

Oleum lumbricorum terrestrium incerto authore frequens.

℞ Vermium terræ. lib. ij.
Olei olivarum maturi & loti. lib. iiij.
Vini nigri & generosi. ℥. viij.

Bulliant omnia simul & fiat oleũ, deinde percoletur.

A terra separentur lumbrici, & lavetur diligenter in aqua fontana pluribus lotionibus, donec à terra sint immunes, semper tamen aquam pro quacumque lotione innovando. Peracta lotione, in vase cooperto vna cum vini nigri generosi lib.i.ß.& oleo prædicto, vase duplici ad vini fere peremptionem coquantur: dein per pãnum rudem canabium colentur: colatum ad usus necessarios recondatur. Petrus Montagnana in antidotario suo capite. 6. de oleis unum habet minime varium.

CAP. XII.

Oleum de croco Mesuæ.

℞ Croci, ℥. j.
Myrrhæ puræ, ʒ. iiij.
Cordumeni, cum Sylvio Cardam. ʒ iij.
Calami aromatici. ʒ. viij.
Infundantur medicinæ in
Aceti, ℥. viij.

Diebus quinque, præter cordumenum: die ſexto proiiciatur ſuper ea cordumenum & dimittatur die uno, deinde fundatur ſuper ea
Olei lib. j. ß.

Et coquantur lento igne vſque ad aceti conſumptionem: & ſunt qui loco aceti vinum ponunt.

In fictili cooperto calamum aromaticum craſſe tuſum, crocum integrum, & myrrham confractam, vna cum aceti ℥ viij. vel ℥ x. diebus quinque calide infundes, ſexto die deſuper cordumenum mediocriter tuſum proiicies, & adhuc ſpatio unius diei omnia macerari permittes: maceratis & infuſis oleum olivarum immaturum lotumque affun-

des, & lento igne ad aceti consumptionem, spatula movendo, concoques: cocta per pannum rudem colabis: colatum reconde & utere.

Avicenna 5 canone Summa 1. Tract. 10. unum describit. Alexandrinus cap. 732. alterum habet, qui minime cum Mesue convenit.

CAP. XIII.

Oleum de capparibus incerto auctore.

℞. Corticum radicũ capparum, ℥ j.
Corticum tamarisci,
Foliorum tamarisci,
Seminis agni casti,
Asplenij, seu ceterach,
Cyperi, ana ʒ ij.
Ruthæ. ʒ j.
Aceti albi,
Vini albi clari odoriferi, ana ℥ ij.
Olei maturi olivarum, lib. j.

Coquantur in duplici vase ad aceti & vini consumptionem.

Radices cyperi minutissime incidantur, & in mortareo æreo una cum corticibus capparum & tamarisci obiter tundantur: tusæ fictili novo cooperto injiciantur, Desuper semen casti contusum,

tuſum, folia ruthæ, tamariſci & ſcolopendriæ ſeparatim in mortario lapideo contuſa imponantur: mox acetum & vinum una cum oleo deſuper affunde, & ſpatio xv. dierum inſola, peracto die infuſionis in diplomate vel in cineribus ad vini & aceti conſumptionem concoque: ſtatim cola, colatum uſui reſerva.

Animaduertite plures eſſe hujuſce olei deſcriptiones apud Muſam Braſſavolum ab iſta differentes. Nam aliæ recipiunt corticem radicis capparis, ſcolopendriam, tamariſcum, abſinthium, oleum commune & acetum. Aliæ radicem corticis capparis, radicem iridis, agnum caſtum, tamariſcum, oleum, & vinum. Aliæ cortices radicis capparis, ſcolopendriam, tamariſcum, iridis radicem, radices cyclaminis, galangam, oleum & acetum. Aliæ radicem corticum capparum & iridis radices, agnum caſtum, tamariſcum, oleum, & vinum. Idcirco parva mihi videtur differentia, & video omnes pro animi arbitrio iſtud oleum parare. Tamen quamuis reperiantur multæ deſcriptiones diverſæ, iſta præſcripta mihi videntur uſitata & longa experientia celebrata.

CAP. XIIII.

Oleum de ſcorpionibus ſimplex Meſuæ.

℞, Scorpiones circiter xx. vel plus vel minus, ſecundum quantitatem eorum, & pone in vaſe vitreo, & funde ſuper eos olei amygdalarum amararum lib. ij. &

Stringe caput vaſis, & dimitte in ſole diebus xxx. deinde cola & utere.

Terreſtres ac vivos ſcorpiones ſecundum eorum magnitudines, hoc eſt, ſi magni, craſſi, & plurimum farcti ſint, viginti: ſi vero parvi quadraginta quinque, vel ad ſummum l. accipe, & vaſe vitreo cooperto ipſos una cum quantitate olei amygdalarum amararum prædicta, ſoli diebus canicularibus, ſpotio xxx. dierum ad macerandum appone. Melius ſi antequam ſoli apponantur, igne levi bullirent tribus vel iiij. ebullitionibus, quamvis non ſit ſcopus authoris ſcorpiones decoqui, ſed tantum macerari. Exactis diebus macerationis oleo minime colato reconde, & utere.

CAP.

CAP. XV.

Oleum vulpinum Mesuæ.

℞. Vulpem integram, cujus interiora sint evulsa,
Et pone in vase, & infunde super ipsam,
Aquæ fontium &,
Aquæ marinæ, ana Kist. j.
Olei antiqui clari, Kist. ij. ß.
Decoque igne lento cum
Salis, ℥ iij.

Vsque ad aquæ consumptionem, deinde pone in vase, & projice super ipsam

Herbæ anethi &,
Halasech, seu Thymi, ana lib. j.
Et funde super ea
Aquæ dulcis in qua coctæ fuerunt ex iisdẽ herbis, ana M. j.
Decoque sicut prius usque ad aquæ consumptionem: & administretur.

Vulpem integram mediæ ætatis pinguem, venatu longaque insectatione defatigatam (quia tunc oleum fiet digerentius) recenterque occisam, cujus interiora sint evulsa, accipito, & minutissime cõscindito, ut ab ossibus medul-

Vid: errata ad finem

la desiliat: & in quantitate olei & salis communis prædicta, fictili novo & amplo ponito: desuper aquæ marinæ & fontanæ lib.xij injicito. Melius si leviter vel ad medias in aqua decoctionis herbarum, fontana & marina absque oleo coquatur vulpes, ne oleum nimia coctione uratur, & vis ipsius vulpis facilius eliciatur coctione aquarum quam oleorum. Coctæ ad medias oleum addatur & ad reliquum humiditatis coquatur igne lento: consumpta fere aqua aliæ item aquæ dulcis in qua anethi & thymi singulorum M. j. incocti fuerint circiter lib.viij affundito, simulque cum lib.j. thymi summitatum & lib. j. summitatum anethi ad hujus aquæ peremptionem & artuum dissolutionem, vel ut ipsius pinguedo ac caro in jus colliquata abierint, & omnia sint liquefacta præter ossa recoquito: deinde velociter extorquendo calide exprimito: expressum ad usum recondito.

Hæc sunt (candide lector) quæ duobus hiscelibris tuum in usum comprehensa, crebro amicorum suasu & rogatu impulsi in lucem tandem emisimus. Fructum vero laboris nostri ad eos uberrimum spero perventurum, qui rei

medica-

medicamentariæ ſerio addicti, præcepta & conſilia noſtra inſequentur. Nos ſi quid ad publicam utilitatem contulerimus id ſingulare Dei. Optimi Maximi beneficium eſſe agnoſcimus. Interim dum tu qualeſcunque has ingenij noſtri primitias explorabis, ad alia ſtudia, non minus his utilia, animum & calamum paramus. Vale.

FINIS LIBRI SECVNDI.

SOLI DEO GLORIA.



INDEX EORUM

Quæ hoc libro continentur.

Tractatus universalis.

LIBRI PRIMI

SECTIO I.

SECTIO II.

SECTIO III.

Cur

SECTIO IV.

SECTIO V.

Lignum

SECTIO VI.

SECTIO VII.

SECTIO VIII.

SECTIO IX.

SECTIO X.

LIBER SECVNDVS.

SECTIO I.

SECTIO II.

Vng:

SECTIO III.

FINIS INDICIS ET FACVLTATVM.

Errata quæ lectionis ſenſum remorantur ſic benigne Lector emendabis.

Pag.33, lin.8.forcipe. 34,4. florum. 52,ult.Baphyco. 55, 9. Pinidiæ. 58, 29. ureteres. 60, 6. Alkakingi. 75, 25. hic. 76, 4. Tertius, ut malefica vis illorum corrigatur, 116, 19. Sælius. 139, 14. libro III. 163,12. feſtucas. 240,24. Ladanum: 255, 21, 22. lib. ſemis & colophoniæ tritæ, & reſinæ albæ puræ addanrur unciæ iij. 246, 2. Lithargyrio. 6, penult. Stater. 325, Chriſt, 10 & 11, ∋ pro ✕.